



**Disputationvm De Censuris In Communi,
Excommunicatione, Suspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

Disputatio XI. De tertio effectu, qui est priuatio actiuæ administrationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

prestitit aliquo: non ergo simpliciter quatum potest, separat. Rursus separat prohibendo, non vero tollendo iurisdictionem: & ideo hic locum habet regula iuris *Multa fieri prohibentur, quae tamen facta tenent.*

13
Ad veriam.

Ad tertium respondetur, si illud esset validum etiam probaturum excommunicationem minorem irritare sacramentum, quod Soto ipse non admittit. Respondetur ergo, excommunicatum minori excommunicatione, de quo in illo textu sermo est, esse priuatum passiva susceptione, non vero actiua administratione sacramentorum, quia prior est ibi prohibita, non vero posterior: & ideo, per se loquendo, sacramenta ab illo administrata, virtutis non carent effectu, etiam ex parte dantis, quia in eo ministerio per se loquendo, non peccat, vt infra ostendamus. Sacramenta vero ab eodem excommunicato suscepta carebunt virtutis effectu, non tamen propterea nulla erunt, cum possint sacramenta subsistere quoad substantiam, sine effectu sui virtutis: carebunt autem hoc effectu, quando, transgrediendo dictam prohibitionem, & grauiter peccando, suscipiuntur. si autem suscipiantur cum sufficienti excusatione à culpa, neque effectu carebunt, quia non ponitur obex ex parte recipientis: & respectu illius prohibiti: nihil operatur, propter excusationem.

14
Ad quartum.

Ad quartum respondetur in primis in illo capite ultimo, non dici electionem excommunicati esse irritam, sed irritandam: est enim ibi sermo de minori excommunicatione, de qua infra. Deinde, quia electio ligati maiori excommunicatione sit irrita per se loquendo, interueniente tamen bona fide electi res est dubia: & licet admittamus etiam runc electionem esse irritam, vt infra disputabitur, nulla est conlectio, quia, vt saepe dixi, in his poenis nullum est argumentum à simili: ibi enim inueniri potest lex irritans: hic vero non inuenitur: neque est difficile diuersitatis rationem assignare, quia non est ita necessaria electio ad salutem, sicut confessio. Et ob eandem rationem negatur consequentia quinti argumenti, quae etiam erat à simili, de quo est longe diuersa ratio: quia quando minister est excommunicatus directe priuatur iurisdictione, & ideo absolutio ab ipso data nulla est, etiam si poenitens non peccet, & alias sit dispositus, vt infra dicemus: per excommunicationem autem poenitentis alter non est priuatus iurisdictione. Et ob similem fere rationem, licet propria Ecclesiae suffragia applicata excommunicato sine culpa eius non habeant effectum, non potest inde sumi argumentum, ad hoc sacramentum, quia suffragia pendunt ex voluntate Ecclesiae, non tamen sacramenti valor, si cetera necessaria concurrant: sicut etiam de sacrificio supra declarauimus, vnde suffragia de facto non offeruntur pro excommunicato, absolutio vero illi datur, id est eoque in illo operatur.

Ad quintum.

15
An dicta sententia verum habeat etiam in censuris reueratis.

Sed quæret aliquis, an hæc resolutio procedat, etiam si censura reuerata sit. Respondeo solius censuræ reuerationem per se nihil referre, cum supponamus censuram non tolli: quia vero cum excommunicatione reuerata simul reueratur culpa, ideo ex hac parte oriri potest difficultas, & coincidit cum illa quæstione, an cum quis bona fide ex parte sua absoluitur ab omnibus peccatis ab eo, qui non habebat iurisdictionem in omnia, sed in quædam tantum, maneat absolutus saltem ab illis, quæ erant sub iurisdictione absoluentis, ac proinde sacramentum fuerit validum, ne teneatur quis illa iterum confiteri. De qua re in superioribus dixi talem confessionem validam esse, quia quantum ad id concurrunt omnia, quæ sunt de necessitate sacramenti, & integritas absolutionis materialis, vt aiunt, seu quoad effectum non est de substantia sacramenti, vt ibidem ostensum est. Hac ergo ratione etiam in presenti est validum tale sacramentum: quia hic solum

Dubio respo.
luto.

A adiungitur defectus iurisdictionis in censuram, cum autem censura ipsa per se non sufficiat ad irritandum sacramentum, neque defectus ille potest sufficere, si cetera necessaria concurrant.

Addit vero Angelus verb. *Confessio*, 5. nu. 10. non solum talem absolutionem esse validam, sed etiam licite dari à sacerdote inferiori, etiam absque speciali causa, vel necessitate, vt indicat, sed iure ordinario, quia potest (inquit) eum absolueri à peccatis, & remittere ad superiorem pro absolutione à censura: in quo etiam indicat non esse necessarium, vt postea sacramentaliter absoluat à superiori à tali peccato reuerato, sed solum ab excommunicatione. Refertque pro hac sententia Richardum in 4. d. 18. art. 1. quæst. 4. Veruntamen nec Richardus ibi hoc docet, sed potius contrarium, neque illa sententia ita generatim intellecta probabilis est: alioqui excommunicatus ab homine semper posset à peccatis absolui, à quocunque ordinario confessore, & remitti ad iudicem, vt à censura absolueretur: quod est omnino falsum, & contra vsum Ecclesie, & contra vim huius censuræ: alioqui quo modo verum est quod excommunicatus est priuatus omnibus sacramentis: Diceret fortasse Angelus, excommunicatum priuari sacramento poenitentiae, quando per illum stat, quominus à censura absoluat: quando vero iam contritus est, & paratus Ecclesiae obedire, & per eum non stat quo minus à censura absoluat, iam non esse à sacramentorum perceptione remotum. Sed hoc etiam fundamentum ita absolute & simpliciter propositum, falsum est, vt melius docuit Syluester verb. *Confessio*, 3. q. 8. referens plures, & dicens esse communem sententiam Theologorum, & Iuristarum. Idem Nauar. in cap. *Consideret*, §. *Cautus*, n. 24. de Poenitent. d. 5. Et ratio est eadem, quia excommunicatio maior inducit hunc effectum, vt dictum est: quando autem excommunicatio non tollitur, semper operatur suos effectus, per se loquendo, etiam si persona coram Deo iustificata sit, vt à simili patet ex dictis supra de effectu priuationis suffragiorum in simili casu: est enim eadem ratio, & Doctores ibi citati hoc etiam affirmant.

16
Angeli ex
confessio.

Rich.
Richardus.

Angeli ex
confessio.

Eladit.

Syl.
Syluester.

DISPUTATIO XI.

De tertio effectu excommunicationis, qui est priuatio actiua administrationis sacramentorum, & sacrificij Ad iij.



RECA hunc effectum supponendum in primis est ius antiquum, quo omnes ligati excommunicatione maiori priuabantur, & celebratione Missæ, & administratione actiua sacramentorum, capit. *Si celebrat*, de cleric. excom. ministr. & aliis. Quod ius nunc manet integrum quoad excommunicatos vitandos, iuxta superius dicta circa Extrauag. *Ad emitanda*, & ideo in illis prius explicabitur, & postea quomodo locum habeat in excommunicatis non vitandis.

SECTIO I.

Utrum Excommunicatus vitandus mortaliter peccet ministrando sacramentum, vel sacrificium offerendo.



Regula generalis est hoc esse peccatum mortale ex genere suo, capit. *Si celebrat*, de cler. excom. ministr. & in c. *la. neralis* Ca. tores, eod. rit. & patet à fortiori ex dictis celebrat. Etis præcedent. disputat. sect. i. n. a. ita de C. n. exprohibi. cum. ministr.

Ca. Latoris. prohibetur est huic excommunicato dare, sicut recipere sacramentum, & tam grauis materia est actio ministrandi sicut receptio.

Difficultas vero est; an possit interdum excommunicatus administrare sacramentum, vel celebrans, ab hac culpa excusari. In qua re non est dubium de excusatione proveniente ab ignorantia inuincibili, vel naturali obliuione, seu inaduertentia, nam generalis est, interuenireque potest in omnibus actionibus humanis, vt in specie docetur in c. Apostolica, de cleric. excom. ministr. Ex quo textu colligi potest talem excusationem habere locum, etiam in exteriori foro, si sufficienter in illo constare possit, talem ignorantiam inculpabilem fuisse: quo modo autem in foro interiori id examinandum sit, ex dictis supra de censuris in communi sumendum est. Quæstio ergo propolita procedit extra casum ignorantie, qui solum esse potest grauis necessitatis: nam ad hæc duo capita reuocatur omnis excusatio in hac materia, vt supra dictum est.

Talis autem necessitas considerari potest, vel ex parte ministri excommunicati, vel ex parte eius, cui ministratur sacramentum, vel ex parte alicuius tertie persone, aut Reipublice, seu boni communis. Rursus necessitas in ipso excommunicato esse potest, aut extrinsecus illata per vim, & metum cadentem in constantem virum, ad extorquendum ab ipso sacramenti administrationem, vel Missæ celebrationem. Et de hoc puncto nihil amplius dicam præterea, quæ de censuris in communi dixi, nam tota illa resolutio præcipue in hac censura locum habet. potest ergo illa esse sufficiens excusatio, si vera metus grauis sit, & de malo graui, & alioqui non sequatur scandalum, vel iniuria religionis, vt ibi declarauimus, & sacramentum possit alias valide ministrari, vt infra dicam. Præterea potest esse necessitas imminentis articuli, vel probabilis periculi mortis imminuentis sacerdotis: tunc solum potest esse questio de sumptione Eucharistie: quia non potest eadem persona sibi ipsi aliud Sacramentum ministrare: Eucharistiam autem potest, vel celebrando, vel ex præconsecratione: maxime in necessitate, & ubi non habet alium, a quo recipiat. In eo ergo necessitatis articulo non dubito, quin licite possit excommunicatus celebrare, aut sacramentum Eucharistie sumere (quamquam nonnulli dubitent propterea quod sacramentum Eucharistie non est simpliciter necessarium ad salutem) quia satis est quod sit valde vtile, & ex præcepto diuino necessarium, & si forte talis sacerdos contritus non sit, sed tantum attritus possit esse vnica, & efficax causa salutis eius: quod à fortiori constabit ex dicendis de necessitate tertie persone.

Tandem accidere potest necessitas eidem sacerdoti excommunicato celebrandi, aut ministrandi alteri sacramentum, ne sese infamet, aut occultum delictum suum publicum faciat, & consequenter ne scandalum generet, vel odium aut inimicitiam erga se in aliis efficiat, vel aliud simile incommodum incurrat. Sed resolutio huius dubitationis petenda est ex disput. 7. de censuris in com. sect. 2. ibi enim declarauimus, quo modo propter vitandum hoc scandalum impediri possit effectus censura: & in particulari doctrinam extendimus ad hunc effectum, de quo nunc loquimur. Itaque quotiescunque receptio sacramenti licita est excommunicato propter vitanda similia incommoda, licita est etiam administratio, cæteris paribus, scilicet, si non possit absolutio nem excommunicationis potius obtinere, & quod sancte, & cum debita reuerentia, & contritione administraretur: nam, positis his circumstantiis, eadem ratio hic habet locum, scilicet, quod actio sic facta non est intrinsece mala, sed iure humano prohibita: quod ius non obligat cum tanto rigore, aut dispensatio, seu periculo. Solum oportet aduertere huiusmodi.

Fr. Suarez tom. 5.

A modi casum posse accidere in excommunicatis non vitandis, iuxta Extrauagant. Ad eundem: quia illi possunt esse occultissimi. At vero in reliquis, qui vitandi sunt, raro accidet moraliter, nam, cum sint nominatim ac publice excommunicati, vel manifesti percussores clericorum, vix potest eis creari infamia ex eo, quod à sacramentorum receptione abstineant, neque inde provenire scandalum, sed potius ex opposito: nihilominus tamen excogitari possunt casus, in quibus delictum, quod in vno loco est publicum iure vel facto, in alio sit occultum, & similiter pro diuersis temporibus potest idem contingere: aliquando etiam potest multum interesse, vt delictum, licet aliis sit publicum, alicui grauisimæ personæ occultetur: ita vt infamia circa talem personam prudenter reputetur graue damnum. Itaque non est casus impossibilis, quamuis multis circumstantiis indigeat, quæ rarissime occurrunt.

Num necessitas ex parte recipientis sacramentum possit esse sufficiens causa, vt ab excommunicato vitando ministratur.

DICENDVM iam est de hac necessitate quando oritur ex parte alterius cui sacramentum ministratur. In qua re omnes Doctores conveniunt, aliquam suscipientis necessitatem posse sufficere, vt excommunicatus possit, & debeat sacramentum aliquod administrare: quia charitas proximi potest non solum talem actum honestare, sed interdum etiam ad illum obligare. Vnde, si illa necessitas spiritualis sit, & extrema, qualis est in paruulo non baptizato animam agente, omnes concedunt posse tale sacramentum à quolibet excommunicato ministrari, vt in tertio tomo attigi disput. 71. sect. 5. & sumitur ex D. Thom. 3. p. q. 64. artic. 6. ad 3. & in 4. d. 5. q. 2. art. 2. quæst. iunc. 5. vbi Richard. Sotus, & alij omnes: Et ex Augusti. lib. 1. de Baptismo. cap. 2. & lib. 6. cap. 5.

An vero extra illum casum liceat, controuersum est. Multi enim negant licitum esse alia sacramenta dare, vt poenitentiam v. g. aut Eucharistiam, homini existenti in articulo mortis, & non habenti alium ministrum præter excommunicatum. Ita docet de sacramento Eucharistie Adrianus q. 3. de Baptismo. Et de sacramento poenitentie est Palud. in 4. d. 17. q. 3. Marfil. 4. q. 12. art. 4. memb. 3. & Nauarr. de poen. d. 6. c. 1. in princ. n. 8. & in manuali, c. 26. n. 26. Turrec. in c. Verbum Dei, de poen. d. 1. Gloss. in cap. Præter, d. 32. verb. per manus, & alij quos refert, & sequitur Vgol. d. c. 13. §. 16. n. 9. commemorat etiam Couarr. ca. Alma mater, part. 1. §. 6. & sequi videtur conclus. 8. & D. Thom. tribuit, tenet item Medina tract. 2. de Confess. quæst. de Concess. excom. fact. ignoranter. Quæ sent. fundari potest, vel in speciali ratione sacramenti poenitentie, scilicet quod requirit iurisdictionem quam non habet excommunicatus, vel in ratione generali, & communi aliis sacramentis, scilicet quia alia sacramenta non sunt tantæ necessitatis, sicut baptisimus. Et hoc fundamentum insinuat D. Thomas, scilicet, 3. p. quæst. 64. articulo sexto, ad 3. & quæst. 28. articulo septimo, ad 2. vbi particulariter de hæreticis ait: In nullo casu licite posse Eucharistiam consecrare, vel alia sacramenta conficere. Item in 4. d. 17. q. 3. quæst. iunc. 1. ad 2. & d. 19. q. 1. art. 2. quæst. 2. ad 3. idem sentit Abul. Marth. 16. q. 86.

Nihilominus dicendum est aliquando ob necessitatem alterius licere excommunicato aliquod aliud sacramentum ei conferre. Hæc conclusio melius probabitur in particulari attingendo aliquid de singulis sacramentis. Incipiendo ergo à poenitentia, in illa certior est conclusio: quam tenet Syluest. verb. Confessor, 1. §. vltim. Angel. verb. Confessio, 3. nume 2. Durand. Dur.

In extremâ necessitate proximi potest & debet sacramentum baptisimi ab excommunicato ministrari. D. Thom. Rich. Sotus, Augusti.

Licetne hoc in aliis sacramentis, prima opinio. Adrian. Palud. Marfil. Nauarr. Turrec. Couarr. D. Thom. Medina.

Vera sententia affirmas. Probatur in sacramento poenitentia. Syluest. Angel. Dur.

184 Disp. XI. De Excomm. maiori ut priuat administ. &c.

Maiores.
Palud.
Soto.
Cano.
Nauarr.
Ledesma.
Ruad.
Vgolin.

Thom.

Cent. Trid.

Durand. distinct. 9. quæst. 2. & ibi Maior quæst. 1. & Palud. in 4. distinct. 25. quæst. 1. Soto d. 18. q. 4. art. 4. Cano. relect. de Poena. p. 5. Nauar. in Summ. cap. 22. n. 4. & c. 27. nu. 272. Ledesma. 2. p. 4. q. 21. art. 6. & q. 21. artic. 1. Ruad. artic. 3. contra Luther. Vgol. tab. 1. de Centur. ca. 14. §. 16. nu. 12. qui autores alios referunt. Ratio verò est, quia in articulo mortis, nec deest iurisdicção ad absolvendum, licet sacerdos excommunicatus sit: nec deest sufficiens necessitas, quæ tunc ab Ecclesiastica obligatione excuset: ergo licitum est sacerdoti excommunicato in eo articulo tale sacramentum ministrare.

Prior pars antecedens est communis Theologorum in 4. d. 20. vbi D. Thom. q. 1. art. 1. quæst. 2. & Palud. q. 1. art. 2. & Dur. d. 19. q. 2. & quidam existimant hoc esse ius diuinum, de quo supra dictum est disputando de ministro confessionis. Quidquid vero sit de illa disputatione, quod saltem ex Ecclesiæ confessione, & suavi providentia ita de facto sit, fueritque semper, docet Conc. Trid. sess. 14. cap. 7. dicens, *Veneruntamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvi possunt.* Vbi notanda sunt tria illa signa distributiva, quæ non sine magna consideratione à Concilio simul, & sine vlla limitatione, & consequenter cum æquali latitudine adiecta sunt: igitur, sicut verbum illud, *quoslibet poenitentes*, comprehendit quoslibet excommunicatos ob quævis gravissima crimina, & illud, *à quibusvis peccatis*, complectitur etiam omnia peccata, licet habeat annexam quamvis censuram, ut subsequens verbum, *& censuris*, satis declaravit. Ita distributio illa, *Omnes sacerdotes*, nullum excludit, quantumvis excommunicatum, & præcisum. Et hinc sumitur ratio huius partis, quia Ecclesia non abstulit iurisdictionem pro illo articulo, sed cõcessit potius, saltem verbis generalibus sine vlla exceptione: ergo sine fundamento, aut expressa determinatione eiusdem Ecclesiæ limitanda non est: nam fautores ampliandi sunt, præsertim in re adeo necessaria, & pia: quamquam hæc vera nõ est ampliatio, sed propria, & ad æquata verborum intelligentia. Accedit, quod iura, quæ referunt casus, aut tollunt iurisdictionem, semper excipiunt mortis articulum, ut supra in proprio loco ostensum est. Dices, iura, quæ prohibent excommunicationem, ministrare sacramenta, non addunt hanc exceptionem. Respondetur, exceptiones non semper esse addendas in singulis legibus: & deinde hanc exceptionem esse in favorem eius, cui ministratur sacramentum, & ideo potius in aliis iuribus id explicatur, quam in ipsa prohibitione: seu excommunicatione ministri. Imò inde conficitur ratio, quia si ex parte poenitentium semper excipitur articulus mortis etiã ex parte ministri intelligitur exceptus, quia in hoc non illius favori, sed poenitentis necessitati succurritur, quæ ex utroque capite potest æquè oriri: & poenitentem in extremo periculo constituit.

Alterà pars de necessitate probatur, quia sacramentum poenitentis est per se medium necessarium ad salutem, & iure diuino præceptum: ergo, per se loquendo, præferendum est Ecclesiasticæ prohibitioni, cum aliunde nulla maior ratio, aut virgior necessitas intercedat. Deinde est etiam, moraliter loquendo, peccati necessaria realis susceptio talis sacramenti, ne fortassis ob defectum contritionis perfectæ, quam habere difficile est, pereat: & propterea plura Pontificum, & Patrum decreta admovent, ne morientibus denegetur reconciliatio sacerdotis, ne periculo æternæ damnationis exponatur. Præterea, si hæc necessitas in sacramento confessionis non esset sufficiens, neque in sacramento baptismi satis esset respectu adulti, quia etiam ille posset

A saluari per solam contritionem, quando per illum non stat quominus baptismum suscipiat: consequens autem est falsum, & contra omnium sententiam: ergo. Denique hoc ex dicendis de Eucharistia evidentiis constat.

Dices, huiusmodi excommunicatus non potest alium absolvi à peccatis propter vitandam propriam mortem, si forte grauis eius metus incurritur: ergo neque propter necessitatem alterius poterit illum absolvi. Respondetur negando consequentiam, tum quia secundum ordinem charitatis præferenda est necessitas spiritualis proximi propriæ necessitati corporali, tum etiam, quia absolutio sic data ab excommunicato propter metum propriæ mortis non est valida, quia ob illam necessitatẽ non datur iurisdicção ad absolvendum, sed privilegium, vtraboli possit. Unde quoad rationem necessitatis etiam posset sufficere illa necessitas ex parte ministri, ut supra dicebamus, tamen ex alio capite, quia deficit aliqua cõditio ad valorem sacramenti necessaria, vel quia persona exigens tali modo sacramentum est indigna illo, fieri potest, ut non liceat illud dare etiam propter metum mortis. Quæ rationes cessant, quando est articulus necessitatis ex parte suscipientis: nam supponitur persona supposita, & indigens, & alioqui ostensum est omnes cõditiones ad valorem sacramenti necessarias concurrere.

Ut autem talis articulus veræ ac propriæ necessitatis sit, supponendum est nullum alium adesse sacerdotem non excommunicatum: nam tunc ministerium excommunicati non est necessarium, vel (quod idem est) poenitens non est in necessitate suscipiendi sacramentum ab excommunicato, cum habeat alium, à quo possit recipere, de quo supponimus & posse, & velle ministrare: nam si nollit, perinde se haberet, ac si non adesset: quia tunc par esset necessitas ministerij alterius. Et confirmatur à simili, nam cæteris paribus, non est suscipiendum sacramentum à malo ministro, quando à bono suscipi potest, ut de baptismo pro necessitate articulo significatur in c. ad hoc, d. 32. &c. Si quæ forte, 24. q. 1. Et similiter, si baptismus potest suscipi à sacerdote, nõ est suscipiendus à laico, & semper inter ministros seruandus est ordo, ut habilior præferatur, ut late tractavi tertio tom. disp. 31. sect. quarta. Sed quid, si sacerdos excommunicatus in aliis conditionibus ad hoc munus necessariis sit longe habilior non excommunicato, ut si sit doctior, prudentior, &c. an possit tunc præferri. Videtur enim tunc illa sufficiens causa, maxime cum in articulo mortis quærendus sit confessor optimus quoad fieri possit. Respondetur, si sacerdos non excommunicatus habeat ea, quæ sufficiunt ad digne ministrandum hoc sacramentum, & subueniendum conscientie poenitentis, non est licitum excommunicato se ingerere, nec poenitenti ab illo petere sacramentum, quia illa re vera non est necessitas, sed maior quædam commoditas, propter quam non conceditur excommunicato iurisdicção Maxime cum in iis, quæ ad consilium pertinent, & à scientia, seu industria personæ pendent, possit in eo articulo consiliu sacerdos excommunicatus extra sacramentum: illa enim communicatio cum excommunicato non erit in illo articulo prohibita, cum sit moraliter necessaria, & ad salutem animæ pertinens. Maior autem communicatio in sacris per sacramenti administrationem necessaria tunc non est, & ideo nec poenitenti conceditur, nec ministro excommunicato datur iurisdicção.

Ex quo etiam intelligi potest quid dicendum sit, si contingat adesse parochum excommunicatum, & alium sacerdotem simplicem non excommunicatum, an possit tunc excommunicatus absolvi. Quidam enim significant, & posse, & præferendum esse: quia ratione necessitatis omnes facti sunt habiles: supposita autem habilitate, Parochus præferendus.

Propter vitandam propriam mortem, si forte grauis eius metus incurritur, ut supra dicebamus, tamen ex alio capite, quia deficit aliqua cõditio ad valorem sacramenti necessaria, vel quia persona exigens tali modo sacramentum est indigna illo, fieri potest, ut non liceat illud dare etiam propter metum mortis.

Ut sufficiat sit necessitas requiritur ut alius minister non excommunicatus non ad sit, aut non velit sacramentum com ferre.

Quid si excommunicatus tunc, habilior minister sit non excommunicato.

Quid si adesse sint & Parochus excommunicatus, & simplex sacerdos non excommunicatus.

Secl. I. An excommun. vitandus peccet sacramenta, &c. 185

duse est in administratione sacramentorum : & ita sentit de Baptismo Vgolinus tab. 1. ca. 13. §. 17. nu. 10. penitentie. Errat autem, vt opinor, in fundamento: quia necessitas, quæ reddit personam habilem, non est solum periculum mortis penitentis per se consideratum: alioqui, quauis esset copia sacerdotum, ordinariam vel delegatam habentium iurisdictionem, omnes alij haberent iurisdictionem ad absolvendum eo ipso quod aliquis in articulo mortis constitutus est, quod non ita est. Igitur necessitas non oritur ex sola morte, sed ex morte cum penuria alterius ministri. In prædicto ergo casu parochus excommunicatus non redditur habilis ad absolvendum propter mortis periculum penitentis: cum non desit alius à quo absolui possit. Tunc enim Parochus ita se habet, ac si non esset Parochus, quia habet iurisdictionem suspensam per censuram, & prohibitus est administrare sacramenta: ergo in illo casu probabilis est huiusmodi parochum non posse absolvere. Et confirmari potest à simili, nā in necessitate baptismi potius est suscipiendus baptizandus à laico non excommunicato, quam à sacerdote excommunicato: ergo simpliciter in proposito: est enim proportionalis ratio. Antecedens vero, licet non sit certum, sed inter Doctores controuersum: mihi tamen probabilius videtur cum Syluestro verb. Baptismus. 3. num. 1. & Nauarro in Sum. cap. 22. n. 7. Et ratio est, quia sacerdos excommunicatus suspensus est munere etiam baptizandi. Et ideo non licet illi vlturpare hoc ministerium, nisi quando ex inopia alterius conferentis proximus est in necessitate: in illo autem articulo non est talis inopia, cum possit illud sacramentum à laico conferri.

Dices, Sacerdos ex vi excommunicationis solum est separatus, ne, vt minister, ex officio baptizet: in illo autem necessitatis articulo non baptizat hoc modo: nec potest licite, quia non est necessarium ad salutem proximi, & solum quod necessarium est, illi conceditur, cum solum ad subueniendum necessitati hoc permittatur: ergo ex vi censura non est prohibitus hoc modo ministrare. Aliunde vero concurrente sacerdote, & laico in eodem genere ministerij sacramentalis semper est præferendus sacerdos: ergo in illo articulo, licet sacerdos sit excommunicatus, præferendus est laico, & consequenter in nostro casu sacerdos parochus præferendus est non parochus. Respondetur, oppositum posse hoc argumento concludi: quia per excommunicationem arcantur omnes fideles ab actiua administratione sacramentorum, quacunque ratione possit eis competere, quia simpliciter priuantur vsu actiui, & passiuo sacramentorum, arg. ca. vlt. de cler. excom. ministrare, & c. pen. de Sent. excom. Quo fit, vt grauius peccet excommunicatus laicus priuatim baptizando paruulum agentem animam, quando adest alius non excommunicatus, qui possit & velit baptismum ministrare. Et eadē ratione existimo grauius peccare excommunicatos contrahentes sacramentum matrimonij, non solum, quia recipiunt, sed etiam quia ipsi sunt proprii ministri illius sacramenti quoad substantiam eius. Igitur sacerdos ex vi excommunicationis separatus est etiam à priuata collatione baptismi, per se loquendo. Ac propterea non potest licite vlturpare illud ministerium, nisi quādo necessarium est: non est autem necessarium quādo cūque alius adest. Quod vero sacerdos debeat præferri laico, verum est, quādo sacerdos alioqui non est impeditus, vel ipse potest licite tale ministerium vlturpare: quod videre licet in prædicto sacerdote non excommunicato: ille enim præferri debet laico iusto, quia absolute non est prohibitus ministrare, vel quia potest sese disponere per contritionem, vel quia fortasse ad illum modum ministrandi non est tam necessaria illa dispositio, vt sentit D. Tho. 3. par. 6. artic. 6. ad 3. & nos latius tom. 3. disp. 16. sect. 4. Fr. Suarez tom. 5.

A Secus vero est, quando ligatus est excommunicatione, quia tunc ipse non potest sese ingerere licite, non interueniente necessitate, & penuria alterius ministri sufficientis: & ideo tunc nec præferri debet, nec potest.

Liceat ne in extrema necessitate penitentiam ab hæretico recipere.

SOLET autem ab aliquibus assertio posita limitari, nisi excommunicatus hæreticus sit: tunc enim aiunt non licere in extrema necessitate ab eo recipere penitentiae sacramentum: & à fortiori ei non esse licitum illud ministrare. Ita tenuit Glossa in cap. Præter hoc. §. Ad hoc, verb. Per manus, d. 32. & Abbas in cap. Non est, de Sponsalib. num. 9. Quam sententiam esse communiter probatam à Iurisperitis, Soto, & veram quoad hunc articulum dixit Nauarr. in manuali ca. 26. n. 26. Castr. lib. 2. de iust. hæretic. pun. cap. 23. & 24. Soto, & Cano. supra quoad hoc dubij sunt, & Soto videtur sentire, deesse tunc iurisdictionem, quia eius fundamentum est fides. Nihilominus dicendum est, quantum attinet ad vim censura limitationem non esse necessariam: nam ex vi excommunicationis, quamuis ob peccatum hæresis contracta sit, non prohibetur quis ministrare hoc sacramentum penitentiae in illo articulo, vt manifeste conuincunt verba Concilij Tridentini, quæ supra adduximus. At vero, quamuis ipse excommunicatus hæreticus ex vi censura, non taceatur: ex vi tamen hæresis, quamdiu in illa permanet, prohibitus est ne ministret, quia est prauè dispositus & indignus ad ministrandum. Et in hoc sensu intelligo dictum S. Thomæ 3. p. q. 82. art. 7. ad 2. ait enim, *Solum baptismum licite dari ab hæretico in articulo necessitatis: non vero aliud sacramentum.* Est enim id verum de hæretico permanente in hæresi: & posset idem dici, de quolibet excommunicato, vel peccatore persistente in sua contumacia & peccato: nihilominus tamen, si is, qui fuit ob hæresim excommunicatus, aut declaratus, interius conuertatur ad fidem, & ad penitentiam, & antequam possit per absolutionem à censura Ecclesiæ reconciliari occurrat illi necessitas absolendi aliquem sacramentaliter ex prædicto articulo, non peccabit eum absolvendo: quia est coram Deo dispositus ad sacramentum ministrandum, & per Ecclesiam non prohibetur per censuram in illo articulo, vt ostensum est: neque ostendi potest aliqua alia prohibitio humana, aut diuina, per se loquendo, secludimus enim scandalum, & alia, quæ sunt per accidens: ergo tale ministerium licitum illi est in eo articulo.

Ex quo fit, vt penitens constitutus in ea necessitate licite petat absolutionem à tali ministro hæretico, quia non tenetur illum vitare tunc, vt ostensum est: & alioqui petit ab illo actum, quem ille præstare potest, & valide, quia retinet iurisdictionem, & licite, si velit, quia potest ad fidem, & penitentiam conuerti. Et hæc est communis sententia, quam tenet Paludanus in 4. d. 25. q. 1. licet d. 17. q. 3. videatur dubius. Durandus d. 19. q. 2. Maior q. 1. Capreolus ad argum. contra 3. conclus. Syluest. verb. Confessio, 3. q. 2. Confessor, 1. q. 20. & Confessor, 3. q. 6. Armilla verb. Absolutio, §. 12. Victoria in Summa 4. nu. 328. Cano Relect. de pen. p. 5. Ruardus art. 3. contra Lutherum. Nauarr. 27. tit. 272. Nec hæreticus propter hæresim, vt sic, amittit iurisdictionem, non enim fundatur in fide, alias propter hæresim mentalem admitteretur, quod est absurdum, de quo latius in materia de fide, neque propter excommunicationem, quia non habet in illo specialem effectum, neque iura de hoc aliquid speciale disponunt, vt patet ex Tridentino supra, & ex omnibus decretis, in quibus fit illa exceptio de articulo mortis. Neque

in 4. d. 5. q. 2. Victoria in Summa 4. mat. de Baptismo. 26.

14 Quorundam sententia.

Glossa. Abbas. Nauarr. Castro. Soto. Cano.

Solutio.

D. Thom.

15 Constitutus in extrema necessitate licite petis absolutionem ab hæretico ministro. Palud. Durand. Maior. Capreol. Syluest. Armill. Victoria. Cano. Ruard. Nauarr.

que etiam obstat, quod poenitens timeat, vel moraliter certo sciat talem haereticum non fore conuertendum, nec digne ministraturum sacramentum: satis enim illi est quod rite administret, & quod digne possit administrare, si velit: nam quod id facturus non sit, ei non imputatur, qui rem petit de se honestam, ad quam petendam à quolibet ius habet ob articulum necessitatis: ideoque non inducit alterum ad malum, sed eius malitiam permittit, eaque in bonum suum iuste vtitur. Neque oportet considerare, an ille haereticus paratus sit ad sacramentum ministrandum, ne, prout distinxit Angel. *Confessio*, 1. n. 2. quia extrema necessitas dat ius petendi etiam à non parato id, quod per se facere potest. Imò non solum dat ius, sed etiam obligat, per se loquendo, propter articulum necessitatis diuini praecepti, & aeternae salutis propriae.

76
Limitatur
resolutio
data.

Angul.

Urban.

Ambrosii
locus exponi-
tur.

Cont. Trid.
Nauarr.

Solum cauere debet, ne consortium illud, vel communicatio cum haeretico, scandalum ipsi indigenti, vel aliis esse possit inductionis ad errorem, tunc enim non liceret ab illo suscipere sacramentum, illa tamen occasio extrinseca est, & per accidens. Quae omnia confirmantur à simili de baptismo: est enim certum, in necessitate licitum esse baptismum ab haeretico suscipere, quando non est alius, qui ministret, vt docet Augustinus libr. 1. de Baptismo cap. 2. & habetur in cap. *Si quem forte*. 24. quæst. 1. & ex Urbano 2. in Epist. quadam, idem refert Gratianus post capit. *Præter*, §. *Ad hoc*, d. 32. quod intelligendum est per se, & secluso periculo inductionis in errorem: ergo idem merito dicitur de sacramento poenitentiae. Patet consequentia ex dictis, quia est æqualis necessitas, proportione seruata, seu respectu auctoris, vt supra declaratum est, Tandem declaratur, quia, si haereticus non sit declaratus per sententiam, non tenemur illum vitare ratione celsuræ, iuxta Extraneam, *Ad euitandam*, neque ipse amittit iurisdictionem ratione solius hæresis, quia iurisdic- tio non fundatur in fide, neque illam ex necessitate prærequirit: ergo, per se loquendo, licitum ab illo absolutionem obtinere, sicut inferius dicemus de aliis excommunicatis non vitandis: ergo idem nunc est de haeretico etiam declarato: nam quoad crimen hæresis vel periculum etiam inductionis æqualis est: declaratio vero censura non obstat, quia in necessitatis articulo pia mater Ecclesia iurisdictionem non aufert, vt Concilium Tridentinum dixit, non introducens ius nouum (vt Nauarrus putauit in Summa ca. 27. num. 272.) se declarans antiquum, vt verba eius, quæ supra expendimus, manifestè declarant. Sicque potest intelligi, quod Ambrosius ait lib. 1. de poenit. cap. 2. & 3. & refertur in c. *Verbum*, & cap. *Potest fieri*, de Poenit. d. 1. haereticos non habere potestatem ligandi, & soluendi: loquitur enim per se, & extra articulum necessitatis: Possit etiam intelligi de haeretico, quatenus haereticus est, nam extra Ecclesiam nulla est iurisdic- tio, & ideo haereticus qui extra Ecclesiam est, illam habere non potest: nisi quatenus à vera Ecclesia ei aliquando permittitur propter bonum fidelium.

In extrema necessitate licere excommunicato
Eucharistiam ministrare, & magis
recipere.

27

Nauarr.

AdDO vero vltius id, quod difficilius est, etiam posse huiusmodi excommunicatum ministrare sacramentum Eucharistiae homini existenti in extrema necessitate, quando non est alius, qui ministret: hoc significat Nauarr. in Summa cap. 22. num. 4. Sic enim ait, Peccat qui suscipit aliquod sacramentum à sacerdote excommunicato interdicto, & ab eius administratione suspensio: & denunciatio pro tali, vt: «no-

A torio concubinario, excepto baptismo & communione tempore necessitatis: quæ exceptio videtur cadere in totam assertionem præcedentem, & singula eius membra. Ratio autem est, quia etiam hoc sacramentum est suo modo sacramentum necessitatis, iuxta illud, *Nisi manducaueris carnem filij hominis*, &c. Propter quæ multi putant etiam hoc sacramentum esse necessarium necessitate mediæ, & vt minimum est certum esse necessarium necessitate praecepti diuini iuris, de quo probabilius est obligare semper pro articulo mortis: ergo vrget tunc necessitas implendi diuinum ius, quod per se loquendo, ac cæteris paribus præferendum est humano. Dicitur verò potest hoc ius obligare eum, qui communicaturus est, ad recipiendum non ministrum ad dandum: & ideo ipsum ministrum non excusari à praecepto Ecclesiastico, quo prohibitus est ministrare.

Propter hoc addo hanc necessariam à nobis considerari, non vt per se sufficientem, sed vt adiutricem: est enim etiam alia, nimirum spiritualis indigentia hominis in eo articulo constituti: nam licet respectu huius sacramenti illa necessitas non sit extranea, est tamen grauissima, tum propter fructum & iuuam illius sacramenti valde necessariam pro illo articulo, tum etiam quia interdum accidere potest, vt quis recipiat per illud sacramentum primam gratiam, quam antea non habebat: ergo non est verisimile Ecclesiae prohibitionem cum tanto rigore obligare. Et confirmatur, nam, si proximus non solum extremæ, sed etiam grauitur indigeat corporali cibo, licitum est ab excommunicato illum accipere: & excommunicato licet illum dare: Et similiter, si indiget consilio, vel alio quocunque beneficio: ergo idem erit si indiget adeo grauitur, & extremæ Eucharistiae pane, atque hanc sententiam tenui etiam in 3. tom.

Sed obicitur cap. vlt. 24. quæst. 1. quod continet factum Hermenigildi, qui mori potius voluit quam ab Ariano Episcopo Eucharistiam sumere. Additque Gregor. *Sed vir Deo deditur*, Ariano Episcopo venienti non exprobrauit, vt debuit, Si ergo increpare debuit, male egisset de illius manu communicando. Deinde additur ca. *Sed iudicatus*, §. *Sed illud Augustini*, cum Gloss. ibi 24. quæst. 1. Denique adducitur ratio, quia Ecclesia simpliciter prohibet excommunicatum ministrare sacramenta, & non excipit hunc casum: ergo neque nos excipere debemus: quia sacramenta quæ Ecclesia excipit voluit, scilicet, baptismum & poenitentiam ipsa expressit.

At primum caput respondetur primo, non laudari Hermenigildum, eò quod cum excommunicato communicare noluerit, sed quia haeretico noluerit consentire: quod longe diuersum est. Quamquam in eadem persona hæresis, & excommunicatio coniungantur. Vnde, licet daremus ab haeretico nunquam licere Eucharistiam accipere, inde non diceret inferre in vniuersum idem esse de excommunicato, sicut de sacramento poenitentiae multos sentire paulo antea dicebamus. Addo vero vltius neque de haeretico posse id generatim colligi ex illo textu, quia Hermenigildus recusauit sumere Eucharistiam ab haeretico, non solum ne ex manu pessimi ministri sacramentum acciperet: verum etiam ne patri in Ariana hæresi consentire videretur: nam in signum huius consensionis, & reconciliationis illa communio ad illum mittebatur, vt patet ex illis verbis, *Perfidus pater Arianum Episcopum misit*, vt de eius manu sacrilega consecrationis communionem perciperet: atque per hoc ad patris gratiam redire mereretur. Erat autem extra gratiam patris solum, quia cum illo non sentiebat in hæresi: ergo petebatur ille actus, vt signum cõsensionis in errorem paternum. Vnde subdit Gregorius, *Sed vir Deo deditur Ariano Episcopo exprobrauit, vt debuit*: eiusque à se perfidiam di-

18

19
Opinio est
rum qui
trarius 16
Gregor.

20
Prædicta
pin. impa-
gnatur, re-
sponderetur
ad factum
Hermenigil-

gnia

quis increpationibus repulit. Conabatur ergo illum in suam perfidiam traducere. Adde præterea ibi non fuisse ablatam Hermenigildo Eucharistiam ab hæretico tanquam viaticum, seu vt necessariam in articulo mortis: quia tunc non supponebatur Hermenigildus in illo articulo constitutus. Solum ergo fuit illi oblata Eucharistia, vt in Paschate communicaret: nos autem nunc non dicimus propter solam necessitatem communicandi in Paschate, & implendi Ecclesiasticum præceptum, posse sumi Eucharistiā ab excommunicato, sed ob necessitatem articuli mortis. Igitur ex vi illius exempli nihil probatur. Regulariter autem loquendo, verum est, in ministro hæretico maius esse periculum scandali, & indecentiæ: & ideo magis esse cauendam communicationem cum illo, quam cum aliis excommunicatis, quod procedit, etiam si talis hæreticus non sit denunciatus, aut declaratus: nihilominus tamen hoc non est per se malum, si illa incommoda, quæ extrinseca sunt, vitentur.

Ad secundum testimonium, præterquam quod illa verba sunt tantum Gratiani, sunt ita generalia, vt etiam sacramentum poenitentiae comprehendant, & ideo aliquo modo exponi debent, quo poenitentia excipiat, & eodem poterit Eucharistia excipi. Intelligenda ergo sunt, quando sine sufficiente necessitate, & ratione talia sacramenta ab excommunicato recipiuntur. Dices, Ergo nulla est differentia inter hæc sacramenta, & baptismum: cum tamen hæc ibi declaratur à Gratiano, vt ab Augustino tradita. Respondetur, Ex parte ministrantis est differentia paulo antea constituta, explicando quendam locum D. Thomæ, quod baptismus potest interdum ministrari priuatim ab hæretico manente in hæresi sine nouo peccato, non vero alia sacramenta. Ex parte vero recipientis potest constitui hæc differentia, quod ad baptismum recipiendum ab infideli vel hæretico non oportet expectare extremam necessitatem, aut articulum mortis, sed propter solam penuriam dignioris ministri posset suscipi, præferim si non esset proxima spes illius: in aliis autem sacramentis, præsertim non ita necessariis, non est extendenda hæc facultas extra necessitatem articuli, vel periculi mortis: nam in præfenti inter hæc duo non distinguimus iuxta superius dicta in materia de Poenitentia, & notat Nauarrus in manuali c. 27. n. 27. ex c. 80. qui, de Sent. excom. in 6.

Ad rationem respondetur primo, illam prohibitionem generalem ministrandi sacramenta non aliter contineri in excommunicatione, quam prohibitionem ministrandi in aliis rebus sacris, vel prophanis: & tamen non obstante ea generalitate, ponuntur à Doctoribus illæ exceptiones generales contentæ in illo versiculo, *Vtile, lex, humile, res ignota*, necesse: & prima ac vltima ad nos pertinent: quanta vero debeat esse illa necessitas, prudentum & Doctorum arbitrio relictum est. Vnde, si res attenditur, etiam exceptio de baptismo non est facta proprio iure, quo censura introducta est, sed ab Augustino primum facta est, de hæretico, non tam censuram, quam hæresim eius considerando: inde vero à Doctoribus extensa, & intellecta est de quolibet excommunicato. Exceptio etiam de poenitentia in nullo iure proprie reperitur: nam Concilium Tridentinum, ex quo fortius probatur, non condidit circa hoc nouum ius, vt supra dicebam, sed explicauit antiquum, quod magis erat vsu receptum, quàm in villo canone expressum. Neque Concilium constituit hanc exceptionem ex parte ipsius ministri, sed ex parte ipsius poenitentis, qui in necessitate potest à quolibet absolui. Est autem in iure constituta hæc regula, capit. *Quod in te*, de Poenitent. & remissio in illo verbo, *Per quod poenitentiam mortuorum non negamus*, viaticum etiam quod vere poenitentibus exhibetur, intelligi volumus, vt nec ipsum poenitentibus denegatur.

getur: vbi Glossa verbo, *Concedimus*, aduertit hæc tria sacramenta semper excipi in quolibet interdicto, scilicet, baptisma paruulorum, & poenitentiam morientium, in quo viaticum intelligitur, prout hic patet: ergo idem dicendum est de quolibet censura, & de verbis Concilij Tridentini. Ac propter ea etiam in cap. penultimo de Sent. excomm. dicitur, tempore interdicti non negari corpus Domini decedentibus in poenitentia. Est ergo hæc sententia valde consentanea iuri, & rationi: & salutari animarum magis favorabilis.

De aliis autem sacramentis facilius est resolutio, quantum ad hoc caput spectat: nam, per se loquendo, illa sacramenta non sunt ita necessaria, & ideo vix aut nunquam potest accidere casus, in quo ob necessitatem suscipientis licitum sit excommunicato vitando illa ministrare. Nam in primis Extrema Vnctio neque est per se medium necessarium, neque constat esse iure diuino præceptam: semperque supponit poenitentiam, & absolutionem à peccatis, & ideo, per se loquendo, non conceditur interueniente censura in articulo mortis. Vnde in dicto cap. *Quod in re*, de poenitent. & remissio, dicitur, tempore interdicti generalis non esse dandam Extremam Vnctionem: ergo nec dari potest, per se loquendo, à ministro excommunicato. Solum potest accidere casus, in quo infirmus sit incapax alterius sacramenti, vt si nullum dedit confessionis signum, & omni sensu ac motu priuatus est, ideoque neque absolui, nec communicari potest, tuncque dubitari potest, an sacerdos excommunicatus possit tale sacramentum ministrare. Et quamuis Doctores frequenter hoc non tractent, tamen ex generalibus principiis positis videtur concludendum, in eo casu id licere, quia moraliter loquendo, & secundum ea quæ frequentius accidunt, fieri potest, vt æterna salus illius hominis pendeat ex receptione illius sacramenti, quia fortasse erat tantum attritus, & per illud sacramentum fiet ex attritu contritus: ergo iam tunc reuocatur ille casus ad articulum absolutæ necessitatis moralis. Imo reduci potest ad necessitatem poenitentiae, vt saltem perfecte habeatur in voto: cum non possit in re ipsa suscipi. Et quoad hæc omnia eadem ratio est de sacramento Confirmationis.

Ordo vero & matrimonium vix possunt in questionem venire. Quanquam de matrimonio excogitari possit casus, in quo moraliter necessarium sit, vel ad spiritualem salutem hominis morientis, vel ad magnum commodum temporale filiorum, vt in articulo mortis vxorem ducat, quam vsq; ad illum in concubinam habuerat, & quod nullus alius ad sit sacerdos nisi excommunicatus, qui interesse possit: in quo casu quantum est ex parte censure non dubito, quin licite possit huiusmodi sacerdos adesse tali matrimonio: tū quia necessitas est moraliter grauissima, & ita habet locum illa particula, *necesse*: tum etiam, quia ille sacerdos tunc reuera non ministrat sacramentum, sed solum adest vt testis qualificatus iure Ecclesiastico necessarius ad valorem talis contractus, & consequenter ad substantiam sacramenti. Et ideo per se non videtur illa communicatio adeo grauis, quin propter talem necessitatem liceat.

An propter necessitatem tercie persone, aut boni communis possit excommunicatus sacramentum ministrare.

Vltimo ex principiis positis facile expediri potest aliud membrum supra positum, an propter necessitatem aliorum, seu tercie persone possit interdum excommunicatus ministrare sacramentum. Quæ dubitatio vix habere potest locum nisi in sacramento Ordinis, vel Matrimonij: quia hæc duo tantum ordinantur ad bonum commune, & aliorum

23
Licet hæc excommunicatio in aliquo casu ob proximi necessitatem illi sacramenta a ministro.

24

25

Q 4

aliorum. Et de matrimonio iam satis dictum est, de Ordine vero accidere posset in aliqua provincia esse magnam necessitatem sacerdotum, seu clericorum, & non esse nisi vnum Episcopum excommunicatum. Quicquid & similes sunt rarissimi, & ideo in specie à Doctoribus non tractatur, & principia posita sufficiunt, vt iuxta necessitatem occurrerem possit quis prudenter iudicare, an sit talis, vt ad excusandum sufficiat. Non enim dubito, quin huiusmodi esse possit, cum bonum commune præferendum sit priuato.

SECTIO II.

Verum, Sacramenta illicite ab excommunicato ministrata valida sint, & effectum habeant.

Regulagenerale.



In hac questione fere nulla est difficultas nisi in sacramento poenitentis, vt in simili diximus superius, quando excommunicatio est ex parte suscipientis effectum. Sit ergo hæc generalis regula, Omnia sacramenta, præter poenitentiam ab excommunicato collata, seruato Ecclesiastico ritu, ita vt nullus alius intercedat defectus nisi censuræ ipsius ministri, rata sunt, & valida, & per se loquendo, conferunt totum effectum proprium, nisi aliunde intercedat obex ex parte recipientium. Hæc assertio est certa iuxta principia fidei, quæ de sacramentis in genere in 3. tomo tradidimus disput. 14. sect. 4. Ratio vero est, quia nec sacramentum, nec effectus eius potest, vel propter iniquitatem ministri, vel propter Ecclesiæ prohibitionem impediri, si applicatur debita materia, & forma, cum debita intentione circa subiectum capax: illis enim tribus sacramentum perficitur ex institutione Christi, vt Concilium Florentinum dixit. Præterea declaratur breuiter discurrendo per singula.

Et quidem de Baptismo, Confirmatione, & Eucharistia, id est certum ex iis, quæ adduximus, 3. tomo disput. 23. sect. 1. & disput. 36. sect. 3. ac disput. 61. sect. 3. & disput. 77. sect. 2. Ex quibus etiam constat, idem dicendum esse de Missæ sacrificio oblato ab excommunicato: est enim verum ac validum, quia eadem est ratio de illo, & de sacramento, quod iurisdictionem non requirit, sed ex sola potestate ordinis pendet: nam ita etiam se habet sacrificium, quatenus à sacerdote in Christi persona offertur: & ideo & validum est, & de se efficax, quia malitia ministri non impedit effectum, quem opus ipsum habet ex institutione Christi. An vero impediat censura ministri peculiarem effectum, quem potest habere sacrificium quoad substantiam eius, vel quoad orationes, & caeremonias, quæ in illo sunt quatenus in persona Ecclesiæ offeruntur, paulo inferius dicam. Præterea de sacramento matrimonij id supra ostendimus ex cap. Significasti, de Eo, qui dixit, &c. nam ex illo habemus matrimonium inter excommunicatos validum esse, cum tamen ipsi sint quasi proprii ministri illius sacramenti quoad substantiam eius: sacerdos autem ex institutione Christi non erat necessarius. Nuncautem ex institutione Concilij Tridentini requiritur, non vero vt minister, sed vt testis specialis seu quædam circumstantia, vel solennitas ad valorem contractus necessaria. De tali ergo sacerdote dubitari posset, an, si excommunicatus sit, censura annullat actum eius quoad vim ferendi testimonium, & consequenter reddat nullum tale sacramentum. Mihi vero pro certo est, non annullare: quia ille non est actus iurisdictionis proprius, de quo plura inferius. Deinde de Sacramento Ordinis, & extrema Vnctionis eadem omnino ratio est, quæ de Sacramento Confirmationis, & inter, quæ

superius adduximus pro Sacramento Ordinis ab excommunicato suscepto magis directe id probante de collato ab excommunicato, & de vtroque id magis constabit ex solutione sequentium difficultatum.

An Sacramentum Extrema vñctionis ab excommunicato collatum validum sit.

Res enim occurrunt circa tria sacramenta. Prima est circa sacramentum Extremæ vñctionis. De quo nullus Catholicus negat esse validum datum ab excommunicato, si à recipiente digne suscipiatur: quia non requirit iurisdictionem in ministro, sed solum quod sit sacerdos: ille autem potest omnia substantialia, & necessaria applicare, etiam si excommunicatus sit. Quia vero, per se loquendo, grauius peccat is, qui ab excommunicato tale sacramentum suscipit, ideo dicunt aliqui hoc sacramentum nullum esse, quod iuris iurisdictionem in ministro suscipitur, sine sufficiente excusatione ex parte suscipientis, qui consequenter idem dicunt de excommunicato suscipiente tale sacramentum absque excusatione. Ita tenet Vgolin. Tabul. 1. de Cens. cap. 13. §. 16. numer. 13. Cuius Fundamentum est, quia, vt hoc sacramentum valeat, necesse est, vt qui illud suscipit, contritus, & in gratia sit, quam dicit esse communem doctrinam Theologorum in 4. distin. 23.

Sed deceptus est non distinguens inter valorem sacramenti, & effectum eius: Theologi enim, quos citat, loquuntur de effectu, non de valore sacramenti, neque in D. Thoma, Soto, aut aliis Thomistis aliud reperitur. Scotus autem, quem citat, quamuis in definitione illius sacramenti ponat, quod sit, vñctio hominis infirmi poenitentis, &c. tamen explicans illam vltimam particulam ait, Additur poenitentis, quia nullus est capax istius sacramenti digne, nisi sit in gratia: vbi illa particula, Digne, satis declarat illum loqui de sacramento quoad effectum gratiæ. Itaque illud fundamentum falsum est: obex enim peccati ex parte suscipientis positus, nunquam est contra substantiam sacramenti, nisi vbi dispositio poenitentis per contritionem est pars ipsius sacramenti; quod est verum in sacramento poenitentis, non vero Extremæ vñctionis, vt supra suo loco lacius declarauimus. Est ergo validum hoc sacramentum datum, & receptum ab excommunicato; siue recipiens peccet, siue non. Solum est differentia, quia si recipiens non peccat mortaliter, & alioqui est dispositus, recipit cum sacramento effectum: si vero peccat, licet sacramentum validum sit, non habet tunc effectum. Probabile autem est ab ablato postea obice, effectum recuperare, vt in superioribus etiam diximus.

Exponuntur decreta, quæ probare videntur sacramentum Ordinis ab excommunicato collatum, esse irritum.

Circa Sacramentum Ordinis nonnulla Pontificum decreta difficultatem faciunt, quæ sepe ita loquuntur, vt ordinationes ab excommunicatis, seu hæreticis factas irritas vocent, aut dicant non esse consecrationes. Sic Gregor. lib. 7. epi. 10. agens de ordinatione ab excommunicato facta, Consecrationem, inquit, dicere nullo modo possumus, quæ ab excommunicato est hominibus celebrata. Et habetur in capit. 1. 9. quæst. prima, & in capit. 3. citatur Damasus Papa dicens, Reiterandum esse, quod sic collatum est: & alia similia in illa questione continentur, & Glossæ ibi alia referunt. Veruntamen certa res est, Episcopum excommunicatum verum conferre sacramentum, si alioqui substantialem formam Ecclesiæ

clericus feruet propter rationem superius factam. Vnde etiam est certum, per talem ordinationem imprimi characterem, quia hic effectus impediri non potest, si sacramentum rite administraretur. Ex quo etiam fit, vt tale sacramentum iterari non possit. Quæ omnia constant ex generali doctrina de sacramentis, & ex decretis statim citandis. Duo igitur modi sunt interpretandi illas locutiones canonum, & iuxta exigentiā loci alter illorum accommodandus erit: Prior est, vt fit sermo de ordinatione, vel consecratione illegitime facta, non solum ob censuram, vel excommunicationem ministrī, sed etiam quia non seruauit substantialem formam, eo quod esset hæreticus, aut ignarus. Alter modus est vt tales ordinationes dicantur irritæ quoad executionem, seu vsum ordinis, vel (quod idem est) quoad acceptationem Ecclesiæ quæ non admittit lic ordinatos in gradum, & ordinem ministrorum.

Priori modo exponit Vgolus dict. §. 16. numer. 5. verba Gregorij superius citata. Fundatur autem præcipue in illa particula, *Illicite celebrata*, aduerbiū tamen illud, *Illicite*, in quo præcipuum vim constituit, non est apud Gregorium in originali, neque apud Gratianum in dict. c. 1. in quo verba Gregorij refert, sed habentur in ca. 2. quod est Paleæ, & eo incidit cum sententia Damasi citata. Et præterea quāuis Gregorius loqueretur de ordinatione illicite ab excommunicato facta, non oporteret intelligi de illicite ex parte formæ, id est, illegitime, seu irritæ facta, quia nec verb. *Illicite*, in rigore hoc significat, neque oportet intelligere aduerbiū illud addi ad distinguendam illam ordinationem ab alia, quæ licite ab excommunicato fit, sed solum ad explicandum ordinationem hoc ipso quod ab excommunicato fit, illicite fieri. Quāquam etiam potuisset verbum illud addi ad excludendum omnem prætextū ignorantie, vel aliam similem reculationem. Item non oporteret addere, *ab excommunicato*, nam ordinatione illicite illo sensu, à quocunque detur erit nulla. Sine dubio ergo Gregorius loquitur de Ordinationibus rite factis, vt euidenter constabit legenti ipsam epistolam, quia non loquitur de ordinationibus factis ab hæreticis, aut in aliquibus locis remotis, vbi fingi possit ignorantia, sed in medio Catholice Ecclesiæ contra iusionem suam sub anathemate. Quapropter necessario sunt exponenda illa verba posteriori modo. Vnde quod ait, *Nullo modo consecrationem dicere possumus*, non ideo dicit, quia persona non maneat in re ipsa ordinata, & consecrata, sed quia sic ordinatus, ab Ecclesia non admittitur ad gradum, & executionem ordinum, iuxta cap. 4. & 5. 9. quæst. 1. & alia, quæ referuntur 1. quæst. 7. quæ præcedente disput. adduximus, agendo de excommunicato suscipiente ordines. Vbi etiam expendimus (quod in huiusmodi decretis considerare necesse est) huiusmodi sic ordinatos, quāuis in principio non admittantur, postea peracta penitentia, & sufficienter vita emendata, admitti ad vsum suorum ordinum, sine noua ordinatione. Et ex 7. Synodo, act. 1. & refertur in capit. *Conuenientibus*, 1. quæst. 7. constat aliquando recipi ab Ecclesia ordinatos ab hæreticis in ordine suo ob aliquas iustas causas: ergo supponit illam esse veram ordinationem, suspensionem autem, vel irregularitatem ab Ecclesia imponi, aliquando vero remitti, vel non imponi, propter iustam causam.

Quocirca in huiusmodi decretis etiam est attende considerandum non dicere, huiusmodi sic ordinatos non habere ordines, sed non habere ordinis, vel clericatus honorem, vt patet ex Innocentio Papa epi. 22. & habetur capit. *Vtrum est*, 1. quæst. 1. vbi ponderanda sunt illa verba, *Neque ex in aliquem in clericatus honorem, vel exiguum subrogare*: nam, quod ille exaggerare voluit per illam particulam, *Neque exiguum*: explicuit alio loco Gregorius per illa ver-

ba, *Nos consecrationem dicere nullo modo possumus*. Atque hoc satis declarat factum Urbani II. quod refertur in cap. *Daibertum*, 1. quæst. 7. vbi Diaconum à ministro præfco ordinatum, & prius non admissum in suo ordine postea admittit, dicens, *Utilitati Ecclesiæ pro viribus insudantem, ex integro Ecclesiæ necessitate ingruente Diaconum constituimus*: non quidem iterum ordinando, vt Glossa ibi intellexisse videtur: loquebatur enim ad absentem, quem ordinare non poterat, sed dispensando in suspensione prius contracta. Itaque illa expositio posterior necessario admittenda est: imo, vbi quæ non constat, vel ex verbis ipsis, vel ex antecedentibus, & consequentibus, sermonem esse de ordinatione aliunde habente substantialem defectum, ita sunt exponenda decreta. Aliquando vero necessaria est prior expositio, vt constat ex verbis Damasi Papæ adductis ex locis Damasi. Capit. 3. 9. quæst. 1. quod sumptum est ex epi. 4. Damasi Papæ, vbi non agit de ordinatis ab excommunicatis, & ideo textus ille nihil ad causam præsentem facit: sed agit de Chorepiscopis, & dicit ordinatos ab eis esse iterum ordinandos, quia illi Chorepiscopi tantum erant Presbyteri coadiutores Episcoporum, qui propterea non poterant propria Episcopalia munera, ea præsertim quæ ex potestate ordinis Episcopalis pendunt, exercere: quod late in rota illa Epistola Damascus prosequitur.

Obiici vero potest c. 10. Concil. Antioch. vbi dicitur Chorepiscopos, vt Episcopos consecrari solitos per manus impositionem Episcoporum. Vnde in cano. 8. Chorepiscopi distinguuntur à Presbyteris, & simul vocantur Vicarij Episcoporum Propter quæ loca Baronius in tomo 3. Annalium circa annum 357. satis post mediū ait Chorepiscopos licet essent Vicarij Episcoporum, fuisse Episcopos consecratos, potuisseque conferre ordines sacros. Bellarminus autem primo tomo lib. 1. de Cleric. cap. 17. duos ordines Chorepiscoporum distinguit, qui omnes erant Vicarij Episcoporum: sed quidam erant Presbyteri tantum, alij vero consecrati Episcopi: sicut nunc sunt annulares Episcopi, qui sæpe assumuntur à proprijs Episcopis, vt coadiutores. Et de iis posterioribus ait loqui Concilium Antiochenum. Vnde ibidem dicitur tales Chorepiscopos potuisse ordinare clericos vsque ad Subdiaconum, non vero Diaconum, vel presbyterum, præter ciuitatis Episcopum. Alia vero translatio habet, præter conscientiam Episcopi ciuitatis, quo significatur de ipsius licentia potuisse etiam hos ordines dare, & consequenter illos fuisse veros Episcopos. De prioribus autem videtur loqui Concilium Neocaesariense capit. 13. vbi dicitur Chorepiscopos fuisse introductos loco Septuaginta Discipulorum: & eorum munus exercuisse: certum est autem Septuaginta Discipulos locum habuisse simplicium Presbyterorum: & de iis etiam intelligitur Damascus Papa.

Sed difficultas adhuc superest, quoniam Damascus adducens eundem canonem Concilij Antiocheni videtur ex professo probare illos non fuisse veros Episcopos, quia nec locus, ait, cum ordinatione concordat, nec ordinatio cum loco: quia ad villas tantum instituebantur pro quibus Episcopi fieri non debent. Vnde etiam ordinationes ab illis collatas significat fuisse nullas, & iterandas. Sed si attente considerentur verba Damasi, potius dicit illos Chorepiscopos de quibus Concilium Antiochenum, fuisse vere consecratos Episcopos: & ad hoc etiam ponderat, quod non ab Episcopo, sed ab Episcopis dicuntur consecrati: subdit vero postea, id merito mutatum esse, quia non decebat dignitatem Episcopalem, vt pro villis & oppidis Episcopi consecrarentur. Vnde cum ait, ordinationes illas esse iterandas, quæ ab illis Chorepiscopis dabantur, intelligit de illis, qui suo tempore durabant, qui iam re vera non consecrabantur, in Episcopos, quantum ex illa epistola licet colligere.

Nam

*Num benedictiones seu consecrationes ab Ecclesia
introducuntur ab excommunicato fa-
cta, rata sint.*

*Communis
sententia.*

*Syluest.
Angel.
Tabien.*

Tertia Difficultas est circa matrimonium non quidem quoad substantiam eius: iam enim diximus huic nihil ob stare quod Parochus excommunicatus sit, sed quoad solennem benedictionem quae in templo dari solet coniugatis: quod etiam quæri posset de solemniori ritu baptismi si ab excommunicato fiat. Et in vniuersum de omnibus his sacramentalibus, seu consecrationibus & benedictionibus ab Ecclesia introductis, an factae ab excommunicato ratae sint, esto ipse excommunicatus peccet ea munera exercendo, in qua re generalis, & communis sententia est, haec omnia, quae iurisdictionem non requirunt, sed solum sacerdotalem, vel Episcopalem ordinem, valida esse, si minister talem ordinem habeat, & in reliquis debitum ritum seruet, etiam si excommunicatus sit, ita Syluester verb. *Consecratio*, 2. in 6. & Angelus eodem verb. & num. & Tabienus num. 8. Et ratio est, quia excommunicatio nihil aufert, quod sit de necessitate huiusmodi effectuum, vel actionum, etiam si illas prohibeat, quia non sunt actiones, quae à iurisdictione pendeant, neque ex bonitate operantis, aut honestate suae actionis: haec enim ratione supra ostendimus valida esse sacramenta collata ab excommunicato, quando iurisdictionem non requirunt. Propter quod sententia haec communis est, vt statim referam.

Occurrit vero dubium, ex differentia inter haec sacramentalia, & sacramenta, quod sacramenta sunt ex institutione Christi, ex qua habent definitum ritum, & certum ministerium: qui non potest ab Ecclesia mutari, vel ita impediri, vt sacramentum factum non teneat, si caetera necessaria concurrant: sacramentalia vero sunt ex institutione Ecclesiae, quae determinat ministerium, si vellet apponere hanc conditionem vt necessariam ad substantiam talis actus, quia hoc pendet ex institutione eius. Respondeo, potuisse, tamen de facto non constare hoc fecisse, neque in decretis esse aliqua verba, quibus significetur tales actus esse irritos. Et ideo vera est sententia communis. Nihilominus grauius peccat sacerdos excommunicatus exercendo huiusmodi actus: nam, licet illa in rigore non sit collatio sacramenti: est tamen communicatio quadam in diuinis, & in quodam sacro ministerio solenni, & publico: vnde sine dubio est materia sufficiens grauis culpa. An vero sacramentalia sic facta ab excommunicato, indigeant aliqua reconciliatione, vel quasi dispensatione, dicam sequente disputatione.

Hic vero occurrit difficultas supra huc remissa de excommunicato sacrum faciente, an vero offerat, & oret in persona Ecclesiae: & sub ea ratione habeat effectum ministerium eius quoad impetrationem in persona Ecclesiae. nam ex dicta resolutione videtur sequi habere effectum: nam si in aliis consecrationibus, vel sacramentalibus excommunicatus operatur vt minister Ecclesiae quamuis male faciat: ergo in orationibus etiam, & caeremoniis Missae. Atque ita sentit Gabriel lect. 27. in canonem, qui ait, sacerdotem ex vi suae ordinationis esse ministrum Ecclesiae, cui prohiberi quidem potest ne illud munus exequatur, non tamen ita potest ab illo separari, vt si illud facere tentet, factum non teneat, quamuis male faciat. Nihilominus tamen oppositum censet verius, quod tenet aperte D. Thom. 3. part. quæst. 82. artic. 7. ad 3. & frequentius Doctores in 4. dist. 13. praeterea Palud. quæst. 1. artic. 3. & Soto quæstio. 1. artic. 8. & Scotus quæst. 2. in principio: vbi etiam Magister idem sentit, & Guillelmus Parisi. tract. de Sacram. Ordinis. Fundamentum est, quia

Gabr.

*D Thom.
Palud.
Soto.
Scotus.
Magister.
Guillelm.*

quod aliquis oret in persona Ecclesiae pendet: & non comitatur immutabiliter ipsum characterem sacerdotalem: excommunicati autem sicut ab ipsa Ecclesia praefici, & separati, ne nomine suo apud Deum intercedant: & ideo sub ea ratione ministerium eorum non habet valorem, nec efficaciam vt latius dixi 3. tom. disput. 77. sect. 2. & quæ diximus disputatione praecedente sect. 4. hoc confirmant. Igitur sacramentalia ab excommunicato facta, dicuntur esse rata, quia iterari non debent iuxta institutionem, & vltim Ecclesiae: tamen orationes & similia, quae ab excommunicatis fiunt, non habent hanc habitudinem ad Ecclesiam, nimirum vt nomine eius, & quasi ab ea principaliter orante fundantur. Et haec sunt satis de caeteris sacramentis, & de sacrificio.

An sacramentum penitentiae ab excommunicato collatum validum sit.

DE Sacramento penitentiae dicendum est ab huiusmodi excommunicato collatum extra casum extremæ necessitatis ipsius penitentis, de quo supra dictum est, non esse validum. Est communis, & certa sententia, vt videre licet in iis, quæ citat Couarru. capit. *Alma*, 1. part. §. 6. numer. 6. & Nauarrus in Manuali ca. 9. num. 8. & Medina tract. 2. de Confess. quæst. de absol. tributa à curato excommunicato. denunc. & quæst. de Absol. trib. ab excomm. manifest. percuss. clerici. Ratio est, quia minister sacramenti penitentiae, si non habet iurisdictionem, non conficit sacramentum, vt constat ex c. *Omnium virium*, quæ sexus, & ex decreto Concilij Florentini, & ex Tridentino sess. 14. capit. 7. & ex supra dictis in 4. tom. Sed huiusmodi excommunicatus priuatus est omni iurisdictione: vt infra ex professo dicendum est, & sumitur ex capit. *Ad probandum*, de Sent. & re iudicata, & capit. *Romana*, de Offic. Vicar. in 6. & capit. *Si uis*, de Offic. Deleg. in 6. & capit. *Audiuimus*, 4. quæst. 1. & aliis similibus, quæ licet loquantur in casibus pertinentibus ad iurisdictionem fori contentiosum, tamen non limitantur ad illam, sed supponunt excommunicatum priuari simpliciter iurisdictione: nec est maior ratio de vna, quam de alia: & ita intelligunt ea iura auctores omnes: & in particulari de hac iurisdictione sacramentali hoc indicatur in c. *Si celebrat*, de Cleric. excomm. ministrante.

Est autem haec conclusio extra controuersiam, quando penitens nouit sacerdotem esse sic excommunicatum, & nihilominus sciens, & prudens ei confitetur: imo tunc duplex concurrens causa nullitatis, altera ex defectu iurisdictionis, altera ex defectu materiae essentialis, qualis est integra confessio cum sufficiente dolore, hanc enim habere non potest, qui actu, & voluntarie peccat mortaliter in ipsa confessione: quod verum esse censeo, etiam de illo qui ex ignorantia hoc facit, quæ à mortali culpa non excusat. Difficultas vero est, quando penitens hoc facit ex ignorantia inuincibili censura ipsius sacerdotis: tunc enim iam non interuenit defectus materiae, vt per se constat, neque etiam defectus iurisdictionis, nam licet excommunicatus alioqui, per se loquendo, illam non habeat, in illo tamen casu videtur Ecclesia illam supplere, tum quia supra agentes de censuris in communi hac ratione diximus effectus censurae impediri interdum per ignorantiam vt actus publici bonae fidei facti valeant, argumento L. *Barbarus*, ff. de Offic. Praetor. tum etiam, quia in huiusmodi casibus, reddis ignorantia probabili excusatus, vt dicitur in capit. *Apostolica*, de Cleric. excommunic. ministr.

Respondetur distinctione hic opus esse: aut enim illa ignorantia procedit ex communi, & publica estimatione, qualis contingere potest, si huiusmodi excommunicatus denunciatus, vel manifestus percussor

*Dubium et.
curritur.
soluitur.
Cenarr.
Nauarr.
Medin.
Conclusio.*

*An penitens
recipiens sa-
cramentum
ex ignorantia
inuincibili
ab actu
mun. sacra-
mentum va-
cipiat.*

*Dubium et.
latius.*

SECT. III. Quam poenam incurrant excom. ministr. &c. 191

Exor cler ici in vno loco ad alium remotissimum recedat, & ibi recipiat beneficium, vel ad hoc ministerium exponatur publice: Et in hoc casu concedo absolutionem ab illo bona fide susceptam validam esse, & Ecclesiam propter commune bonum illi conferre iurisdictionem ex illo generali principio adducto, & supra satis tractato: & in specie hoc docuit Vgolin. Tab. 1. capit. 13. §. 16. numer. 12. At vero quando ignorantia procedit ex solo privato, & particulari errore; tunc licet ipse inuincibilis sit, & propterea excusetur à culpa nihilominus sacramentum inualidum est ex defectu iurisdictionis, estque confessio illa iteranda: quia re ipsa non est subiecta clauibus, nec vero iudici in illo foro, vt in particulari notarunt Medina, Couarruias, & Vgolinus citatis locis. Et ratio est, quia ibi cessat ratio communis boni, seu publici officij secundum communem estimationem: & ideo Ecclesia non supplet illum defectum, quia leges morales non attendunt particularia incommoda, sed id, quod bono communi expedit.

Alia vero difficultas hic erat, esto non possit excommunicatus per se confessiones audire, possit tamen alteri vices suas committere. Aliqui enim auctores id affirmant, vt Paludanus dist. 23. quest. 2. art. 2. num. 17. quem sequuntur Syluest. verb. *Vnctio*, num. 4. & Armil. nu. 5. etiam si (inquunt) Excommunicatus non possit iurisdictionem suam delegare: quia dare hanc licentiam (ait Palud.) non est iurisdictionis, sed ordinis actus. Sed ex hoc ipso fundamento constat hanc sententiam falsam esse, nam concedere facultatem audiendi confessiones non est actus ordinis, sed iurisdictionis: tum quia etiam non sacerdos interdum dat illam facultatem: tum etiam quia illa potestas non est necessario coniuncta cum ordine, tum denique, quia actus manat à potestate proportionata: sed per facultatem illam datur iurdictio: ergo manat à potestate iurisdictionis: excommunicatus autem non potest licite, aut valide exercere actum iurisdictionis: neque etiam potest conferre vsum iurisdictionis, quæ non habet: ergo non potest facultatem illi dare. Imo etiam addo Episcopum excommunicatum non posse tunc aliquem in confessorum approbare seu exponere, etiam si illi iurisdictionem non conferat, quia illam approbatio est actus iurisdictionis ac propterea nullus, iuxta eam quæ inferius de hac re dicentur.

SECTIO III.

Quam poenam incurrant excommunicati ministrantes sacramenta, vel qui ab illis recipiunt.

Regula generalis est, excommunicatum ministrantem ex officio quodlibet sacramentum aut sacrificium Missæ celebrantem ipso facto irregularem effici. Est enim hoc expressum in iure ex c. Si quis, 4. 11. quest. 2. Verba sunt, *Non liceat ei (id est excommunicato sic ministranti) nec in alio concilio spem reconciliationis habere neque vltra colligi, seu reconciliari, vt habet alia littera.* Quæ verba, non possunt intelligi de absolutione ab excommunicationis censura, cum hæc non possit esse perpetua, neque eius absolutio denegetur ei, qui cum debita submissione, & satisfactione ad Ecclesiam redit, ergo poena quæ ibi vt irremissibilis iudicatur, nihil aliud esse potest nisi irregularitas. Quod clarius colligitur ex c. Si quis, 3. vbi non negatur reconciliationis, sed restitutionis spes: nimirum in ministerium clericale. In c. autem vitimo de clerico excommu-

nica ministr. dicitur, sacerdotem minori excommunicatione ligatum non fieri irregularem celebrando, vbi supponitur secus esse, si fuerit maiori excommunicationi irretitus; & ita omnes Doctores ibi intelligunt. Et, quamuis textus loquatur de sola celebratione: quæ proprie significat Missæ sacrificium, nihilominus Doctores intelligunt idem esse de omnium sacramentorum administratione, & de omni celebratione diuinorum officiorum iuxta modum loquendi aliorum textuum, in eodem titulo. Et ita id extendunt auctores ad omnem actum sacrum publicum, solennem, & proprium alicuius ordinis, etiam ex minoribus, ita vt Lector, vel Acolythus, &c. excommunicatus, in suo ordine ministrans sollemniter, irregularis fiat: Et à fortiori subdiaconus, vel Diaconus sollemni ritu Epistolam cantans, vel Euangelium. Quæ sententia valde communis est, vt latissime refert Vgolin. Tab. 1. c. 14. §. 1. per totum, & attingit Nauarrus in Manuali cap. 27. num. 163. vbi de suspensio loquitur, & n. 244. de excommunicato; & dicit esse opinionem communem Iuristarum. Eandem docent communiter Theologi in 4. d. 18. Richard. artic. 7. quest. 5. Gabriel questio. 2. art. 3. & alij. Item Summilla verb. *Irregularitas*, & verb. *Excommunicatio*, & Maiolus lib. tertio de irregularitate capitulo vigesimo primo.

Qui generatim ad hoc citant totum titulum de Clerico excommunicat. ministr. In quo nullum textum inuenio satis vrgentem præter vitimum. Nam in primo, & secundo capite non est sermo de Clerico excommunicato, sed deposito, & potius ille excommunicari præcipitur, si contumaciter se ingerat officiis diuinis, à quorum ministerio depositus est. In capite autem tertio est sermo de excommunicato celebrante diuina officia: non tamen dicitur fieri irregularis, imo neque aliqua poena ei ipso iure imponitur: licet enim dicitur, *Nisi monitus sine dilatione redierint, perpetua depositionis sententiam incurrant*: ergo, si admoniti redeant, non deponentur, neque ex vi illius textus aliquam irregularitatem incurrunt. Similiter in cap. 4. nulla est mentio de irregularitate, neque alicuius poenæ ipso iure impositæ, sed depositionis ab homine imponendæ, vt patet ex illis verbis, *Omnes in perpetuum ab officio sacerdotali deponas.* Et inferius additur, *Si numerus delinquentium quadragenarium numerum excedat, non omnes esse perpetuo deponendos, sed eos, qui magis causam delicti dederunt*: Alios vero, (ait) *ab officio ad tempus suspendas.* In capitulo autem quinto non fertur poena, sed refertur à canone infligi Propter hoc delictum, non tamen explicatur, an illa poena sit irregularitas, neque, an sit ipso iure lata, vel ferenda. In capite autem 6. solum est sermo de quadam alia poena ab homine imponenda, ibi, *Rationabiliter poteris omnibus beneficijs Ecclesiasticis exspoliare, & similis poena proponitur in c. 7. §. Quæsiuisti.* In c. vero 8. & 9. non est sermo de hac re.

Melius id probatur ex cap. i. in fine, de Sent. & re iudicata in 6. & cap. 1. & cap. 15. qui, §. 1. *Si vero, & capit. 15. qui, de Sentent. excommun. in 6. in quibus aperte traditur suspensum ministrantem in officio sui ordinis fieri irregularem*: Ex quo omnes Doctores argumentum, sumunt idem esse dicendum de excommunicato, vt notat etiam Couarr. in cap. Alma p. 1. §. 6. in fine. Quod argumentum, vt sit efficax, non debet sumi tantum à simili: nam hæc argumentandi ratio in huiusmodi materiis, firma non est, vt sæpe dixi: sed sumi debet veluti à parte ad totum: nam, licet suspensio sit à censura distincta ab excommunicatione: quoad effectum vero suspendendi à ministerio ordinis habet eandem efficacitatem cum illa. Denique communi omnium Doctorem interpretatione ita intellectum est hoc ius, & communi vsu Ecclesiæ ita est receptum, & ideo dubitandum non est de huiusmodi irregularitate, saltem quantum ad actuum vsum

Cap. ult. de Cleric. excomm. ministr.

Vgol. Nauarr.

Rich. Gab. Maiol.

Nauarrus extensior iocetur.

vfum sacramentorum, de quo nunc principaliter agimus: an vero extendendum fit ad omnem actum ordinis, & quo modo, dicemus disputatione seq.

Hic solum aduerto Nauar. in Sum. c. 27. n. 244. in vltimis verbis extendere hanc irregularitatem ad eum qui, licet ligatus celsura non fit, facit vt alius ligatus censura celebret praesertim coram se, seu vt ipse Missam audiat. Solumque citat Glossam in Clement. 2. de Priuil. verb. *Celebrari*, quae tamen non loquitur de hoc casu, sed de alio, in quo excommunicatus auctoritate sua facit, vt alius coram se celebret, de quo infra videbimus quale fundamentum in iure habeat. Hæc autem extensio Nauarri in iure non habetur, neque à Doctoribus communiter asseritur, quod ego viderim: & ideo non amplector illam: quia poenæ non sunt extendendæ, praesertim irregularitas, quæ in presenti solum est imposita sacerdoti excommunicato celebranti: nõ vero alicui non excommunicato inducendi excommunicatum ad celebrandum: nam licet cõsensus, præcipiēs, aut inducens censetur dignus equali poenâ, tamen donec imponatur à iure, praesertim loquendo de irregularitate, illam non incurrit, cum non sit in iure expressa.

Data regula limitatur. Ex parte modi ministrandi sacramenta.

Affertio 1.

Circa propositam vero regulam inquiri potest, vtum aliquam exceptionem admittat: potest autem cogitari exceptio, vel ex parte modi ministrandi sacramentum, scilicet ex ignorantia, vel ex scientia seu ex eo, quod licite vel illicite fiat: vel ex parte ipsorum sacramentorum, ita vt alicuius administratio sine irregularitate fieri possit. Dicendum ergo in primis est, propositam regulam habere locum, quando administratio sacramenti ab excommunicato fit, peccando mortaliter: quoties vero fit cum excusatione sufficiente ad vitandum peccatum mortale, hanc irregularitatem nõ incurrit. Hanc limitationem adhibent omnes Doctores specialiter, quando excusatio provenit ab ignorantia inculpabili: quia expresse habetur in capit. *Apostolica* de Cler. excommuni. minist. Ex illo autem textu & ex ratione eius, scilicet, *Quia vos reddit ignorantia probabilis excusatos*, colligitur idem dicendum esse, quoties qualibet alia causa interuenit, quæ huiusmodi ministrantem reddat excusatum. Ratio vero est, quia hæc irregularitas nõ imponitur propter significationem, sed in poenam: poena autem canonica non incurritur, quando nõ committitur culpa: ergo. Maior ex prædicto textu sufficienter colligitur, & ex verbis, quibus alia iura vtuntur, in quibus hæc irregularitas imponitur: quia sunt, *Si ausi fecerint* in capitulo. *Si quis tertio*. in questione tertia, *Si praesumpserint*. capitul. *Si quis*, quarto eadem. *Si deliquisse* constituitur, capit. *Latores*. de Clerico excommunicat. ministrante, *Si damnabiliter se ingererint*, capit. primo de Sententia, & re iudicata in sexto, *Si contra interdictionem huiusmodi diuinis se ingerat*. capite, *Si cui*, de Sententia excommunicationis in sexto. Semper ergo prærequiritur culpa ad huiusmodi irregularitatem incurrendam. Quocirca, si in conscientia alicui constet, solum ex naturali obliuione, aut inconsideratione, cum censura celebrasse, potest esse in conscientia certus non incurrisse in irregularitatem. Quod in simili notant Paludanus in quarto, distinct. 18. questione sexta, & Adrianus in quarto, questione tertia de Claui. except. 7. & superius, tractando de censuris in communi ostendimus hæc inconsiderationem æquiparari ignorantia, si æque inuoluntaria sit.

At vero, quando vel ignorantia, vel quacunq̃ a-

lia occasio non excusat à culpa mortali, non imedit quominus hæc irregularitas contrahatur: nam licet nonnulla verba, quibus iura vtuntur, vt *Si ausi fuerint*, praesumpserint, &c. videantur exigere culpam ex certa scientia, seu contemptu, alia tamen sunt magis generalia: & in dict. c. *Apostolica*, clare supponitur, si ignorantia culpabilis fit, necessariam esse dispensationem. Oportebit autem, vt tanta sit negligentia, quæ ad peccatum mortale sufficiat: tum, quia hæc poena est valde grauis, & ita culpam grauem praesupponit: tum etiam, quia in illo textu dicitur, *Si forte ignorantia crassa, supina, aut erronea fuerit*: quæ non conueniunt ei ignorantia, quæ ex sola leui negligentia aliquo modo, id est, venialiter, culpabilis est. Quando autem debeat ignorantia supina seu crassa reputari, supra de censuris in communi tractatum est.

Inquiri vero potest, quando aliquis est dubius de sua excommunicatione, an incurrit irregularitatem sacramentum ministrando. Respondeo, si postea constet non fuisse excommunicatum, certum est non incurrisse irregularitatem. Imo etiam si quis ministraret sacramentum, putans se esse excommunicatum, ac proinde grauius peccando ex conscientia erronea, re ipsa non incurreret irregularitatem quamvis ex eadem conscientia teneatur se gerere vt irregularis quamdiu durat: cum primum vero illi constiterit non fuisse excommunicatum, non indigebit alia dispensatione: quia huiusmodi poenæ nõ incuruntur per actum intentatum seu eximatum, sed re ipsa perfectum, vt supra dixi de censuris in communi. At vero, si in prædicto casu dubij postea constet verè fuisse excommunicatum, tunc contra etiam fuisse irregularitatem affirmat Syluester verbo *Irregularitas*, n. 15. vers. *Quintum*, idem Vgolinus, Tab. 1. c. 14. num. 12. in fine, qui alios refert: & hi auctores nullum afferunt fundamentum. Fauter autem responsio Innoc. III. in c. *Illud*, de Cler. excom. mini. in illis verbis. *Quia tamen in dubio via est tutior eligenda, etsi de lata in eum sententia dubitaret, debuerat tamen potius se abstinere, quam sacramenta Ecclesiastica pertractare*. Tamen hic textus non omnino conuincit, tum quia casus illius magis fuisse videtur temeritatis cuiusdam, quam dubitationis probabilis, quia per famam publicam notitia excommunicationis ad illam personam peruenerat: tum etiam, quia etiam in illo casu non dicit Pontifex contra etiam fuisse irregularitatem, imo nec aperte ait commissum fuisse peccatum mortale, sed prius ait, *Licet in hoc non videatur omnino culpabilis existisse*. Quod vero postea ait, *Non debuerat*, &c. indicat quidem aliquam culpam, non tamen aperte mortalem: vnde postea concludit. *Cum eo misericordiam facientes poenam quam canon infligit ei non diximus infligendam*. Vbi generatim loqui videtur de omni poena iure imposita pro tali delicto: & significat non incurrisse illam, neque esse imponendam.

Quocirca nullum inuenio textum, in quo illa sententia efficaciter fundetur: nam, licet in multis iuribus legamus, in dubijs tutiorem partem esse eligendam: quæ citat Glossa super textum prædictum, verb. *In dubio*, tamen illa intelligenda sunt, quando altera pars non est practice tuta, vt constat ex 1. 2. q. 18. & 19. vbi de Cõscientia disputatur. In hoc autem casu, de quo agimus, licet supponatur dubium speculatiuum circa ipsam excommunicationem, non videtur inde necessario inferri dubium practicum circa actionem ministrandi sacramentum cum tali dubio censura. Atque ex hoc principio definendam censuram propositam difficultatem: Nam in primis considerandum est, an qui sacramentum administrat cum tali dubio, peccet mortaliter contra ipsam censuram, nec ne: nam, si excusatur à peccato mortali, etiam si postea constet re ipsa habuisse censuram, ab irregularitate excusabitur, propter principium

Cap. Apo.
stolica de
Cler. excom-
muni.

Ratione
suadetur di-
cta limita-
tio.

Ignorantia
aut occasio
quæ non ex-
cusat à mor-
tali excom-
muni-
cacione mi-
nistrando
irregulari-
tatem in-
currit.

Quoniam
dam opinio
Syluest.
Vgolin.
Innoc. III.

Resolut.

Sect. III. Quam poenam incurrat excom. ministr. &c. 193

cipium positum: quod hæc non incurritur sine culpa mortali contra cēsuram commissā, si vero mortaliter peccauit, in eo casu cēso procedere dictorum auctorū sententiam: quia reuera existens excommunicatus celebravit, & peccando mortaliter: ergo ex nullo capite potest excusari ab irregularitate contrahenda.

Ad iudicandum vero, an celebrans cum tali dubio speculatio, peccet mortaliter, nec ne, vtendū est communibus regulis de conscientia, & videntum in primis: an ille fecerit, quod in se est, ad tollendum tale dubium, & veritatem cognoscendam, nam si id non fecit, regulariter loquendo temere se ingerit sacris, propter periculum, cui se exponit incautus, & in eo casu procedit dictum capituli, *Illud*. Nec est admittenda excusatio, nisi forte ex aliqua virgente necessitate, quæ non concessit locum & tempus ad inquirendam veritatem: quamquam tūc etiam, si per se ipsum faciat, quod pro temporis opportunitate potest, merito dicitur fecisse, quod poterat ad expellendam dubitationem, & non potuit se. Quando ergo quispiam hanc diligentiam adhibuit, & adhuc manet perplexus, & dubius, rursus considerandum est, an possit excusari a culpa graui, nam sine causa exponit se tali periculo. Et hoc confirmat vsus Ecclesiæ, quæ propterea consuevit hæc absolutionem ad cautelam facile præmittere, etiā absque occasione tam virgente.

At vero, si non habuit a quo huiusmodi absolutionem obtineret, & rationabilis occasio ac necessitas prudenti arbitrio ponderanda se offerat ad celebrandum, vel aliquid simile, non opinor peccatum mortaliter, qui deposito dubio practico celebrauerit, nō obstant speculatio, tum quia moraliter loquendo, ille homo non se exponit periculo cum fecerit diligentiam, & necessitate prematur, tum etiam, quia sic operanti fauet illa regula iuris, quod in dubiis melior est conditio possidentis: nā ille homo tunc possidet libertatem in executione suorum ordinum, & optima fide possidet, quandoquidem fecit, quod in ipso est: ergo est melioris conditionis, vt eis licite vti possit, donec absolutionē ad cautelam obtinere valeat. Dubitari vero hic vltius poterat, an in eo casu, quo aliquis peccat mortaliter cum hoc dubio celebrando, vel ministrando sacramentum, teneatur statim se gerere, vt irregularis, prius quam certo illi constet fuisse excommunicatum, cum celebravit: sed de hoc dicemus infra in materia de irregularitate, vbi explicabimus quo modo se gerere debeat, is qui dubiusest de irregularitate: nam in illo casu statim ille incipit esse dubius de irregularitate contracta, & ideo ex illo principio prædicta dubitatio definienda est.

Excommunicatum ministrantem sacramentum mortaliter peccando, ad quod necessarius est ordo aliquis fieri irregularem.
Assert. 2.

Secundo dicendum est ex parte sacramentorum nullam esse adhibendam exceptionem, vel limitationem, nam dummodo sacramentum ita consecratur, vt ad illud ministrandū necessarius sit aliquis ordo, quodcunque sit tale sacramentum, sufficit ad hanc irregularitatem incurredam. Quod præcipue propono propter Rich. in 4. d. 1. 8. ar. 7. q. 5. qui ab hac regula excipit sacramentum absolutionis, quia nō est in iure expressum in particulari, quod huiusmodi absolvens contrahit irregularitatem: & alioqui hoc sacramentum ministratur cum solennitate: & ideo non videtur comprehendendum sub illa generali regula, per quam præcipue videtur prohibita, seu punita solennis executio ordinis, stante excommunicatione, seu suspensione talis ordinis. Cui sententia fauet, quod poenæ legū interpretatione molliendæ sunt, potius quam exasperandæ prout dicitur ca. *Pœna*, 18. de Pœn. d. 1. ex l. penult. ff. de poenis. Veruntamen assertionem positam certam esse censeo: in qua dixi, *Dummodo necessarius sit ordo*. Vt excluderem administrationem baptismi priuatim factam: nam propter illam non incurritur hæc irregularitas non solum quando in necessitate absque culpa fit; quod est per se notum, sed etiam si absque necessitate, & peccando fiat. Quæ est communis sententia, quia ille tūc nō exercet munus sacerdotale, quamuis sacerdos sit, sed vt laicus sacramentum illud præbet, vt notant Rich. supra. Syluest. *Excommunicatio*, 3. n. 1. in fine, & verb. *Irregularitas*, n. 15. & in materia de baptism. plura similiter diximus. Extra hunc vero casum nulla est exceptio. Quod quidem de sacramento Ordinis, Extremæ vnctionis, Confirmationis, & consecratione Eucharistiæ certum est; quia hæc nunquam fiunt sine solenni ritu: quod in particulari docet ibidem Richardus de Extremā Vnctione, & in aliis tribus clarius est; quia sunt maiora sacramenta, & semper cum maiori solennitate fiunt. Nam Extrema Vnctio aliquando propter necessitatem confertur sine caeremoniis, & accidentaliter riu, id tamen non obstat quominus irregularitas contrahatur: quia semper illud sacramentum ministratur publice, & cum aliqua solennitate sacerdotali (vt sic dicam) id est, cum aliquibus vestibus sacris, & (quod ad rem maxime spectat) ille actus substantialiter sumptus est proprius ordinis sacerdotalis.

Vnde addo, idem dicendum esse de absolutione sacramenti, & sine vlllo fundamento fieri exceptionem, nam ille actus nūc ac substantialiter sumptus est vsus ordinis sacerdotalis, & grauius omniū post consecrationem corporis Domini: sed iura absolute prohibent vsum ordinum sub prædicta poena ergo maxime hunc comprehendunt. Nec refert quod hoc sacramentum secrete tradatur, id enim accidentarium est; nam etiam Missa potest secrete coram vno tantum celebrari, & absolutio sacramē talis potest publice atq; aliis videntibus dari, quamuis confessio secrete fiat. Parum etiam refert, quod hoc sacramentum paucis caeremoniis accidentalibus ministraretur, quia ipsa substantia sacramenti per se satis est, cum sit grauius actus ordinis sacerdotalis; eo vel maxime quod etiam sacramentum illud habet suas caeremonias, & accidentalem ritum, licet breuiorem. Quod si quis eas velit omittere, non propter irregularitatem vitabit. Sicut, si quis excommunicatus sacerdos iniquissime conficeret corpus & sanguinem Domini, sine vestibus sacris, & sine vlllo accidentali ritu Ecclesiastico, præter culpam sic faciendi, & poenam illi correspondentem, non effugeret irregularitatem specialem propter talem vsum ordinis, durāte excommunicatio ne: sufficit ergo substantialis vsus potestatis ordinis, præsertim in administratione grauiissimi sacramēti.

Maiores occasio dubitandi circa hoc esse poterat, quia hoc sacramentum poenitentia ab excommunicato ministratum est nullum vt supra dictū est: ergo illa non est administratio vera sacramēti, sed dici potest attentata: ergo non satis est ad incurrendam irregularitatem: nam, vt supra agendo de censuris in communi diximus, huiusmodi poenæ Ecclesiasticæ non incurruntur propter actus attentatos, sed propter perfectos & consummatos in suo ordine, nisi aliud in lege exprimat, sicut non fit irregularis, qui intētat homicidium, nisi re ipsa sequatur. Respondetur in primis, hoc sacramentum ab excommunicato datum non semper esse nullum generatim comprehendendo excommunicatos etiā

R non

12
Concl. sup. posita est etiam absolutionem sacramentalem comprehendens.

13
Dubium de excommunicato sacramento hoc poenitentia ministrante.

Resoluitur

non vitandos, qui tamen etiam sunt irregulares per illicitam administrationem sacramenti, vt in sequenti sect. attingemus. Deinde dupliciter potest se gerere excommunicatus in administratione huius sacramenti, primo; vt id faciat absque intentione conficiendi sacramentum, sed solum proferendi illa exteriora verba, & decipiendi. Secundo cum intentione absolueendi, & perficiendi sacramentum, quam in hoc sacramento poenitentiae, vix potest habere absque aliquo errore, vel ignorantia.

24.
Excom. ex-
terius absol-
uens absque
intentione
absolueendi,
non fit irre-
gularis.

Quando priori modo se gerit, probabilissimum esse non incurrere irregularitatem propter argumentum factum quia actio illa, etiam vt procedit a tali operante ex intentione eius, non est usus ordinum, sed fictio eius. Et confirmari potest a simili de heretico pure exteriori, absque interiori infidelitate: nam ille non incurrit censuras; vel alias penas ipso iure hereticis impositas. Item est simile de illo, qui exterius rebaptizat sine intentione rebaptizandi. De quo dixi non incurrere irregularitatem 3. tom. disp. 31. sect. 6. Hoc autem, si verum est, non est peculiare in sacramento poenitentiae, sed commune in omnibus: nam ratio facta vniuersalis est, nisi aliunde admisceatur alia communicatio in diuinis officiis, propter quam irregularitas contrahi possit, vt latius, & generalius dicemus disp. seq. Vt, si quis faciat sacrum seruando ritum Ecclesiasticum, solumque in consecratione sit fictus, non intendendo verum sacramentum conficere, aut sacrificium offerre, nihilominus manebit irregularis: quia illius officij administratio cum excommunicatione sufficit ad irregularitatem contrahendam, etiam sine sacramento, vt statim dicemus de baptismo.

25.
Excomm.
cum inten-
tione absol-
uens etiam si
sacramen-
tum sit irre-
gularis.

At vero, quando hic excommunicatus se gerit secundo modo, res est magis dubia: videtur autem probabilius in eo casu incurrere irregularitatem, etiam si aliunde contingat sacramentum esse nullum, vt in illo casu rebaptizandi quantumcunque quis rebaptizare intendat, nullum conficit sacramentum, & nihilominus irregularitatem contrahit. Item quantum contingat absolutionem esse nullam ex defectu contritionis confitentis, nihilominus sacerdos excommunicatus absoluit, irregularis manebit: quia quantum potest, fungitur sua potestate ordinis, & iurisdictionis: & hoc est quod illi prohibetur sub praedicta irregularitate, & non solum prohibetur absolutio quae in re ipsa sit rara, & valida. Sicut etiam si absoluat ab excommunicatione, grauiter peccabit, & incurrit poenam, si quae est tali peccato annexa, etiam si talis absolutio nullius valoris, vel effectus sit. Quocirca, quando huiusmodi poena irregularitatis, & similes a iure imponuntur propter actus, qui iam supponuntur defectuosi, vel invalidi ab ipsomet iure; sicut est rebaptizatio, & similes, inter quos etiam est absolutio data ab excommunicato, tunc ad incurrendam talem poenam, non oportet vt actus in re ipsa sit validus, vel habens effectum, sed satis est, quod, quatenus sit ab operante: sit talis, nam ille est quem ius prohibet, & punire intendit.

16
Obiectio.

Dices, si sacerdos excommunicatus ex errore, aut furis, aut facti, tentet consecrare in aqua, vel aceto, vel pane hordeaceo: vel si Episcopus excommunicatus ordinet foeminam, existimans se ordinare virum, neuter iudicandus erit irregularis cognito defectu: quia ille reuera non fuit usus ordinis, quod aliunde non prouenit nisi ex nullitate sacramenti: ergo similiter in aliis. Videtur quidem hic casus magis dubius, quam praecedentes, & interuenit nonnulla disparitatis ratio: quia hic casus magis extraordinarius & accidentalis est, & ideo ius non videtur loqui de actu ita defectuoso. Nihilominus tamē satis probabile est tunc etiam incurrere irregularitatem: quia quantum est ex parte operantis, ille fuit usus actiuis potestatis ordinis, & hic est qui prohibetur sub dicta poena, siue in re sequatur effectus, siue non.

Enodatur.

An excommunicatus sacerdos ad sacramentum
concurrans, etiam si illud non effi-
ciat, fiat irregularis.

17
Tandem vero dubitari hic potest, quando sacerdos non conficit ipsum sacramentum, concurrat vero aliquo modo ad illud: an id satis sit ad hanc irregularitatem incurrendam. Et in tribus sacramentis potest occurrere hoc dubium. Primum in matrimonio de quo nihil diximus; deinde in Eucharistia, quando aliquis illam non conficit, sed distribuit: denique in baptismo, quando aliquis solenniter illum confert quoad caeremonias, non vero quoad substantiam: quia supponitur iam priuatim data. Quantum ad primum punctum dicendum est, duplicem concursum posse nunc habere sacerdotem ad matrimonium: vnus est, quem requirit Conc. Trid. ad substantiam matrimonij, cum postulat vt fiat coram Parocho, & testibus; & ex vi huius concursus opinor illum non fieri irregularem: tum quia illa non est administratio sacramenti, neque alicuius caeremoniae sacrae, tum etiam, quia ex vi ordinationis Concilij ad illum actum non est necessarius aliquis actus ordinis: nam si contingat Parochum non esse sacerdotem (quod interdum accidere posse constat ex c. Cum in cunctis, de Elect. & ex eodem Conc. Trid. sess. 7. c. 3. de Refor.) & si coram eo, & testibus fiat sacramentum validum erit, quia Concilium, tantum requirit vt fiat coram Parocho, & testibus.

Cons. Tri.

Neque obstat, quod addit, Praesente Parocho, vel alio sacerdote de ipsius Parochi, vel Ordinarij licentia: inde enim solum fit, quando ille non est ordinarius, parochus, sed delegatus, debere esse sacerdotem: quod verum censetur: non tamen de ipso Parocho: nam de illo Concilium absolute, & prius, & in illa etiam eadem clausula loquitur. Neque obstat illud relatum alio; quia non est necesse vt referat omnem conditionem, seu qualitatem personae, praesertim cum nomen sacerdotis non praecedat, sed sequatur. Vnde idem velle videtur, ac si diceret, vel aliquo sacerdote: de quo puncto in materia de matrimonio tanquam in loco magis proprio dicendum est. Nam, quod ad praesens attinet, vltius addo, etiam si sacerdoti conditio in Parocho ipso requisita esset, sicut nunc est in eo: qui vices eius subit, nihilominus tamen ex vi illius actus non manere irregularem huiusmodi sacerdotem excommunicatum matrimonio assistentem: quia quauis illa conditio iure positio requiratur in tali persona, nihilominus ibi reuera non exercet actum ordinis sacerdotalis, sed solum postulat vt qualitas personae ad maiorem fidem faciendam.

19

Alius concursus Parochi circa matrimonium esse potest ad solennem benedictionem coniugum, quae non est administratio alicuius sacramenti, sed cuiusdam caeremoniae, seu sacramentalis ad solennem ritum matrimonij pertinentis: & de hoc actu communis sententia est sufficere ad irregularitatem contrahendam, quia illud ministerium est proprium sacerdotis ratione sui ordinis: nam, licet illa actio Ecclesiastico iure instituta sit: tamen ex eadem institutione requiritur, vt minister necessarium sacerdotem, vt constat tum ex ritu praescripto ad illam benedictionem, tum ex communi usu Ecclesiae, tum etiam ex cap. 1. & 3. de Secundis nuptiis, & non nihil etiam fauet Ilidorus in cap. 1. dist. 25. vbi ad sacerdotem ait inter alia munera pertinere, benedicere dona Dei. Supponit autem haec sententia propter omnem usum ordinis, praesertim sacri, etiam si accidentalis & secundarius sit, incurrere irregularitatem, dummodo tam grauis sit, vt ad peccatum mortale contra censuram prohibitionem sufficiat. Atque ita sentit Maiol. lib. 3. de Irreg. c. 21. n. 5. & Vgolus tab. 1. de Censur. ca. 24. §. 2. n. 5. qui alios referunt, & de illo principio generali

Maiol.
Vgolus

generali plura dicemus disputatione sequenti. Nunc ad eius fundamentum iura superius adducta sufficiant. Quod autem illa benedictio solennis coniugum sit materia grauis, & sufficiens ad peccatum mortale contra censuram, certissimum mihi videtur, quia est publicum, & solenne ministerium sacerdotale plures continens orationes, & benedictiones: ac denique est grauis communicatio in diuinis cum actiuo vsu, seu ministerio proprii ordinis sacerdotalis.

Atque ex his facile est expedire simile punctum de baptismo, scilicet, quando sacerdos confert solennitatem baptismi sine substantia eius, an id sufficiat ad irregularitatem contrahendam, quando minister est excommunicatus. Videri enim posset non sufficere, quia plus est substantiam baptismi sine caeremoniis dare, quam caeremonias sine substantia: sed primum non sufficit, vt diximus: ergo nec secundum sufficit. Nihilominus consequenter dicendum est, tunc contrahi irregularitatem, propter eandem rationem, quia illud ministerium sacram est, & caeremonia satis grauis in Ecclesia, folique sacerdoti ex officio commissa, & ad summum potest Diacono in necessitate delegari, vt diximus 3. tomo disp. 23. sect. 2. Est ergo ille actus ordinis in materia graui, in quo differt a priuata administratione baptismi secundum substantiam: nam illa non est actus ordinis, etiam si contingat ab homine ordinato fieri.

Idem est in alio puncto de Eucharistia proposito. Existimo enim irregularem manere sacerdotem excommunicatum dispensando Eucharistiam, vel in Ecclesia communicantibus, vel deferendo eam ad infirmos; nam illud est grauisimum ministerium sacram ac diuinum, & proprium sacerdotis ratione sui ordinis, licet possit Diacono in necessitate committi iuxta ea, quae tractauimus in tertio tomo, disp. 72. sect. 1. Adde, in decretis supra citatis non solum prohiberi sub hac pena sacerdoti excommunicato ne sacramenta conficiat, sed absolute ne illa ministrat, vt minister ex officio; sed hac dispensatio Eucharistiae est administratio sacramenti ex officio: ergo. Vnde constat idem dicendum esse de Diacono, si ex licentia sacerdotis tale ministerium excommunicatus obierit: eandem enim sine dubio irregularitatem incurrit: quia etiam ille actus, vt factus a Diacono ex commissione, est actus ordinis eius: nam ratione proprii ordinis, & characteris est capax illius delegationis, quae propterea nulla inferiori fieri potest.

Sed quid, si inferior aliquis clericus, vel etiam laicus, vsurpata, vel male concessa licentia, tale sacramentum excommunicatus dispense? Respondetur, non fieri irregularem ex hoc capite: est enim hac generalis regula notanda, laicum excommunicatum male vsurpantem, vel fungentem rei diuinae celebratione, aut sacramenti alicuius collatione, inde non fieri irregularem: quia haec irregularitas solis clericis imposita est, qui in suis officiis excommunicati ministrant, vt patet ex ipsa Rubrica de Clerico excommunicato ministrante. Vnde in cap. Si celebrat. licet non dicatur, Si sacerdos, vel clericus celebrat, sed absolute, Si celebrat &c. tamen & ex ipso titulo, sub quo caput illud continetur, ita intelligendum est: & ex proprietate verbi celebrat: quod simpliciter dictum non fictam, sed veram celebrationem significat. Quapropter laicus excommunicatus, qui se fingit sacerdotem, & ita etiam exterius celebrat, non incurrit hanc irregularitatem. Atque idem est de clerico inferiori simili fictione vsurpante ministerium superioris ordinis, vt si Diaconus Missam celebrat, vel Subdiaconus Euangelium solenniter canet: quia hac irregularitas cum imponitur clerico ministranti, respectiue, seu reciprocè intelligenda est, scilicet ministranti in officio suo: ita enim expresse loquuntur textus supra citati cap. I. c. de Sent. ex Fr. Suarez tom. 5.

comm. in 6. & c. Si quis Episcopus, 11. q. 3. vbi agitur de excommunicato ministrante in officio suo.

Et ratio est, quia quando vsurpat superius ministerium, ad quod non est ordinatus, non operatur, vt clericus ordinatus, sed vt iniquus homo vsurpans quod non habet: vel vt laicus. Et confirmatur ac declaratur vltima pars, quia haec irregularitas directe cadit in actum, a quo quisque per censuram Ecclesiasticam suspensus est, vt ex supra dictis constat: laicus autem non est suspensus per censuram ab officio Ecclesiastico: nam hac suspensio, cum sit priuatio quaedam supponit potestatem. Et eadem ratione inferior clericus non est suspensus ab officio superioris ordinis: ideoque infra ostendemus suspensionem ab officio esse censuram propriam clericorum, & vnicuique accommodandam secundum ordinem suum. Dixi autem propter huiusmodi actum non incurri hanc irregularitatem, de qua agimus: quia non excludimus aliam impositam propter fictum ministerium: quae in titulo de Clerico non ordin. ministr. continetur: & in materia de Irregularitate explicanda est: ad praesens enim non refert: nam aequè illam incurrit non excommunicatus sic ministrans, ac excommunicatus. Atque hac est communis sententia Doctorum, & interpretum iuris in citatis locis, & Innocentij capite vltimo, numero secundo de Excess. praelator. Nauarr. in Summa capite vigesimo septimo, n. 242. & 244.

Dices, Ergo Diaconus excommunicatus dispensans Eucharistiam sine licentia Sacerdotis non manebit irregularis, quia tunc non operatur, vt minister ex officio deputatus ratione sui ordinis ad illud ministerium: consequens autem videtur falsum. mirum est enim quod si id faciat cum licentia sacerdotis, sit irregularis, non autem, si id faciat sua auctoritate: cum ibi vno tantum, hic autem duplici titulo peccet. Responderi potest hoc non esse inconueniens: nam grauius peccat laicus excommunicatus, sicte celebrans, quam sacerdos excommunicatus vere id faciens. Et Subdiaconus excommunicatus grauius peccat, si solenniter canet Euangelium quam si caret Epistolam: & nihilominus non incurrit hanc irregularitatem: quia haec irregularitas non est annexa cuiuslibet grauiori delicto, sed tali in specie: illud vero grauius habebit alias poenas sibi proprias. Considerandum ergo est, an illa dispensatio Eucharistiae facta a Diacono absque facultate Presbyteri, sit actus ordinis sui, nam si est, incurrit hanc irregularitatem: alias minime. Videtur autem dicendum illum vere esse actum ordinis, quamuis illegitime, & inordinate factum: nam defectus, qui ibi interuenit, magis pertinet ad defectum iurisdictionis quam ordinis: Diaconus enim ex vi suae ordinationis recipit potestatem ministrandi hoc sacramentum a Presbytero confectum, ac proinde cum subordinatione ad ipsum, apud quem est propria potestas in corpus Christi verum, & mysticum. Hac autem subordinatio ad quendam modum iurisdictionis pertinere videtur: nam, quod est ordinis ex vi characteris habetur: & ideo Diaconus dispensans Eucharistiam sine facultate presbyteri, exercet propriè actum sui ordinis: neque id est separabile a tali actu, etiam si absque competenti iurisdictione fiat. Hoc autem satis est ad incurrendam hanc irregularitatem, vt per se notum est. Et patet in Episcopo excommunicato conferente ordines in alieno Episcopatu sine licentia dioecetani, nam sine dubio irregularis fiet. Et idem a fortiori est de simplici sacerdote ministrante Eucharistiam alienis ouibus sine licentia Parochi aut superioris, nam licet peccet ex defectu iurisdictionis, nihilominus actum ordinis exercet: & ideo si excommunicatus fuerit irregularis fiet. Semper autem supponimus huiusmodi dispensationem fieri absque necessitate cum peccato: nam si occurreret casus, in quo licitum esset, vel dia-

Innocentij
Nauarr.

24
Quid si
Diaconus
excommu-
nicatus Eu-
charistiam
sine sacerdo-
tis licentia
dispenset.

Resolutio.

eono sine licentia sacerdotis, vel simplici sacerdoti sine licentia proprii dare Eucharistiam ob necessitatem extremam, tunc excusaretur minister à peccato, etiam si excommunicatus esset, iuxta principia superius posita; & ideo tunc non fieret irregularis.

²⁵
Quis in hac irregularitate dispensare possit.

Nauar. Vgolini Panorm.

Additio ad Abb.

Conc. Trid.

Vltimo potest circa hanc poenam inquiri, quis possit in hac irregularitate dispensare. In quo breuiter dicendum est, iure communi solum Papam posse dispensare iuxta communem sententiam Canonistarum in capite primo de Sententia excommunicationis in 6. & in capite primo de Sententia & re iudicata in 6. quam referunt Nauartus in Summ. numer. 245. & Vgolini tab. 1. cap. 14. §. 1. numer. 27. Sumiturque ex eisdem iuribus, vt notauit etiam Panormitanus in capite Clerici, de Cleric. excomm. ministr. numero secundo, vbi Additio Alexandri plura notat, quæ nobis nunc non videntur necessaria. Solum oportet addere, hanc irregularitatem, sicut alias, si proueniat ex occulto delicto posse per Episcopum tolli ex Concilio Tridentino sessione vigesima quarta, capite sexto, de Reformatione. Erit autem delictum occultum, si excommunicatio occulta sit, etiam si celebratio sit publica, quia in ratione peccati occulta est: quod idem erit, si è contrario excommunicatio sit nota, celebratio autem occulta sit. Vide Nauarrum capite vigesimo septimo, numero 194. & 241. & 255. Plura circa hanc irregularitatem annotabimus in sequenti disputatione, sectio secunda.

De recipientibus sacramentum ab excommunicato.

²⁶

D. Thom.

Vide Nauar. de Horis canon. c. 21. ver. 14.

²⁷
Generalis regula proponitur.

Secundo principaliter dicendum est: peccare grauius eum, qui sacramentum aliquod ab huiusmodi excommunicato suscipit, non vero propterea incurrere aliam Ecclesiasticam poenam præter excommunicationem minorem, generaliter loquendo, nam specialiter de illo qui ordines suscipit, est specialis difficultas infra tractanda. Prima pars certa est, & communis apud Theologos in 4. d. 18. vbi specialiter D. Thom. quæst. 2. artic. 4. Et ratio est, quia per censuram excommunicationis non solum ipsi excommunicato prohibitum est communicare cum aliis, sed etiam aliis directe prohibitum est communicare cum ipso: ergo transgressio huius prohibitionis in materia graui mortale peccatum est: sed hæc materia, & communicatio in receptione sacramentorum valde grauis est: ergo illa transgressio peccatum mortale est. Maior certissima est, & multis iuribus continetur, c. Cum non ab homine, de Sent. excomm. ibi, *Debes abstinere*, & in cap. Illud, de Cleric. excomm. ministr. dicitur excomm. magis teneri ad vitandum alios, quam teneantur alij ad vitandum ipsum: supponitur ergo vtrumque teneri, licet magis excommunicatum ipsum. Idemque habetur in multis decretis 11. qu. 3. Ac denique in Extravag. *Adeuandæ*, supra citata, cum gratia nulla fiat excommunicato, vt in ea dicitur, alius sit, vt non teneantur excommunicatum vitare, nisi in duobus casibus, de quibus nunc agimus: ergo hæc prohibitio directe cadit non solum in talem excommunicatum, sed etiam in alios.

An vero, & quando contingat excusatio ab hac culpa, & obligatione: hæc regula statui potest, quoties ipse excommunicatus non excusatur, sed peccat ministrando sacramentum, alios etiam ab illo recipientes non excusari: agimus enim de excommunicato vitando: tunc autem maxime vitandus est, quando ipse censuram violat ministrando. Et, quoniam hæc est causa adæquata, à qua pædet hæc prohibitio, fieri videtur, vt etià è contrario, quoties hic excommunicatus ita excusatur, vt licite sacramentum ministrat, alij etiam excusentur ab illo recipiendo. Quod verum esse opinor, quoties causa excusationis est ne-

cessitas aliqua intrinseca, seu iusta. Patet, quia si necessitas sit ipsius recipientis, illum primo excusatur: si vero sit alterius, vel eiusdem excommunicati, etiam inde redudabit excusatio ad recipientem. Nam si licet excommunicato dare sacramentum alteri propter necessitatem eius, etiam licebit ab alio recipere propter eius necessitatem, si ita interdum contingat, quod tamè raro eueniet. Loquor autem de necessitate intrinseca, & iusta, nam si ipsemet excommunicatus vim inferat alteri, vt minister, & propterea ille excusatur dando, alius non excusabitur recipiendo, vt per se notum est. Similiter, quando excusatio est ex ignorantia, vel naturali inuertitia, non existimo eam sufficere ad excusandum aliud in communicando cum illo, præsertim quoad perceptionem sacramentorum: quia hæc obligatio directe est non solum excommunicati, sed etiam aliorum. Vnde non solum est propter vitandam participationem in peccato eius, sed propter directam, ac propriam prohibitionem: sed ignorantia vnus, licet eum excuset, non excusat alium respectu præcepti directe illi impositi: ergo. Et confirmatur, nam licet mihi constet huiusmodi excommunicatum esse oblitum suæ censuræ, vel non esse absolutum in re ipsa, quamuis ipse putet se esse absolutum, non possum pro illo offerre sacrificium, vel alia Ecclesiæ suffragia: nam hoc mihi directe prohibetur, quidquid sit de existimatione alterius: ergo idem est quoad receptionem sacramentorum à tali excommunicato. Quod intelligitur per se, & ex vi ignorantie, nam si inde oriatur occasio scandali vitandi, vel alia similis necessitas, iam reuoluimur ad aliud caput excusationis, quod est necessitas.

Iam vero quod materia huius prohibitionis grauis sit, & ad mortale peccatum sufficiens, docet D. Thomas supra quæst. 3. & in solut. ad 1. ita exponit capit. *Sacris*, de iis, quæ vi metusve causæ, ibi, *Cum pro illo metu debeat quis mortale peccatum incurrere*: nam est ibi sermo de peccato, quod committitur communicando cum excommunicato, quamuis intelligentia illius textus plura requirat, de quibus supra dictum est, tractando de censuris in communi. Rationem attingit D. Thom. ibid. ad 2. quia directam intentionem Ecclesiæ in hac prohibitionem præcipue est propter spiritualia. Vnde ipse concludit omnem communicationem in diuinis esse peccatum mortale. Est ergo hoc multo certius in hac administratione sacramentorum: nam inter ipsa spiritualia valde grauis materia est.

Secunda vero pars de poena huius delicti quo ad excommunicationem minorem certa est: nam hæc censura propter omnem communicationem cum huiusmodi excommunicato incurritur, vt infra disputatione speciali de excommunicatione minori dicemus. Quoad alteram vero partem exclusiuam probatur, quia nulla maior censura, nec irregularitas ipso iure imposita est propter huiusmodi delictum, vt patet ex ipsius iuribus, & ex consensu omnium Doctorum. Veruntamen de maiori censura excipiendi sunt casus, si qui sunt in iure expressi, vt videtur esse in ca. *Significauit*, de Sentent. excomm. de quo infra suo loco agemus. Et quando excommunicatio maior fertur etiam in participantes, nam illa tunc maxime ligabit eos, qui in sacramentorum administratione participant: vt tamen huiusmodi excommunicatio nunc valida sit, seruanda est forma præscripta in c. *Statuimus*, & c. *Constitutiones*, & c. *Statutum*, de Sentent. excomm. in 6. Hæc autem exceptiones confirmant regulam generalem positam, vt extra hos casus nulla censura maior, quam excommunicatio minor propter hoc delictum incurratur.

Præterea de irregularitate idem fere discursus fieri potest, nam omnia iura loquentia de irregularitate, quæ contrahitur propter violationem cen-

²⁸
Recipere sacramentum ab excommunicato mortale est.

D. Thom. Cap. Sacris, de iis quæ,

²⁹
Propter hanc receptionem sacramentorum ab excommunicato solum minorem excommunicationem incurrunt.

³⁰
Propter receptionem sacramentorum

Secl. IV. Vtrum liceat excom. non vitando sacram. &c. 197

argumentum
de visu actiui ex officio, vt patet in c. 1. & c. 1. i. cui, de
Sent. excom. in 6. & cap. Si quis Episcopus, 4. 11, qu. 3. &
aliis supra citatis: ergo hæc pœna non est extendenda
ex vi illorum iurium ad passiuam receptionem
sacramentorum ab excommunicato, tum ob gene-
ralem regulam, quod pœna sunt potius restringen-
da, tum ob speciale ius, quod habemus irregulari-
tatem non incurri, nisi in casibus à iure expressis.
Inducti ad hoc potest cap. Si celebrat, de cler. ex-
com. minist. eo modo, quem annotauimus præced.
disp. sect. 1. in fine. Accedit præterea, quod ubi in re-
ceptione alicuius sacramenti ab excommunicato
incurritur irregularitas, vel suspensio, id speciatim à
iure exprimitur: ergo, ubi non exprimitur, non in-
curritur: exprimitur autem de solo sacramento or-
dinis: est ergo illa veluti exceptio à generali regula
negatiua, quæ illam firmat pro omnibus aliis sacra-
mentis, vt nimirum propter eorum susceptionem
talis inhabilitas non incuratur.

si
Suscipiens
ordinem ab
excommuni-
cato sit ir-
regularis.

De suspensione autem ordinis res est certa non
suscipere sic ordinatum ordinis executionem: an
vero illa sit propria irregularitas, vel suspensio, &
an incuratur etiam sine culpa, in materia de Sus-
pens. & de Irregularitate dicitur.

SECTIO IV.

*Vtrum Excommunicatus non vitandus valide,
& licite possit sacramentum
ministrare.*

N iure antiquo non erat locus huic
questioni: sed, quæ hætenus dixim?
generalia erant omnibus excommu-
nicatis: propter Extrauagantem ve-
ro, *Ad euitanda*, oportet exponere,
quænam exiis, quæ diximus, locum habeant in cæ-
teris excommunicatis; quæ vero eis cõcedenda sint.
Duo enim in prædicta extrauaganti sunt obseruan-
da. Vnum est, aliis fidelibus cõcedi vt possint com-
municare cum his Excommunicatis etiam in parti-
cipatione sacramentorum: vnde necesse est, vt talis
administratio possit huiusmodi excommunicatis
esse licita: alias inutilis esset aliorum fauor. Aliud est,
quod ipsi excommunicatis per eam legem nullus
sit fauor. Ex quo fit, vt quantum est ex se, semper te-
neantur non se ingerere huic ministerio. Quomo-
do autem in praxi hoc veluti medium seruandum
sit, non est ad explicandum facile.

*Prima sen-
tentia.*
Adrian.

Et ideo variè sunt de hac re opiniones: prima ne-
gat simpliciter his excommunicatis licere ministrare
sacramenta. Insinuat Adrian. quod lib. 3. art. 3. ad 3. i.
opin. quamvis ibi potius dicat nō licere dare sacra-
mēta his excommunicatis, quia indigni sunt, quam
quod nō liceat his excommunicatis ea ministrare. Et
præterea non loquitur ex vi censuræ, sed ex iure natu-
ræ ob indispositionem accipientis, vel dantis. Ci-
tatur etiam idem Adrian. q. 3. de Baptismo, ubi nihil
clare dicit, sed in secundo argumento ad oppositum
aliquid insinuat: sicut etiā Caietan. in Summ. verb.
Abolitionis impedimenta. Dicunt enim hi Doctores
licere quidē aliis fidelibus suscipere sacramenta ab
huiusmodi excommunicatis, ipsis vero ministris non
licere ea dare, sicut nobis licet accipere mutuum
cum vsuris; alteri vero non licet dare. Iuxta quam
sententiam nunquam licebit ab huiusmodi excom-
municatis accipere sacramenta, nisi quando ipsi
sunt expositi ad huiusmodi ministeriū. Sicut licet, v.
g. audire Missam ab huiusmodi excommunicato, non
tamen licebit eum inducere, nec cooperari, aut mi-
nistrare illi. Aliorum vero sententia est, licitum esse
interdum fidelibus petere sacramēta ab huiusmodi
excommunicatis: & tunc etiā eis esse licitum illa mini-
strare. Suarez tom. 5.

Secl.
artic. 4. & Couar. in cap. Alma, p. 1. §. 2. & 6. num. 7. &
Dried. lib. 1. de libertate Christiana c. 8. & Victor. in
Summ. materia de excom. q. 3. & alij infra referen-
di. Et mihi magis probatur, si recte explicetur.

Prima assertio.

Dico ergo primo, Ex vi huius excommunicatio-
nis non est prohibitum aliis fidelibus, ne sa-
cramēta recipiant ab huiusmodi excommunicatis.
In hac videntur omnes conuenire, nam aperte col-
ligitur ex verbis Extrauagantis, *Ad euitanda. Indul-
gemus, vt nemo deinceps à communione alicuius in sacra-
mentorum administratione præterit alicuius censuræ.*
&c. Et propterea huiusmodi excommunicatos sim-
pliciter appellamus, *Non vitandos*: ergo ex vi censu-
ræ Ecclesiasticæ non tenentur fideles non recipere
sacramēta ab his ministris: ergo nullo iure positiuo
prohibiti sunt: quia hic nullum aliud ius positiuum
interuenit, nisi quod in ipsa censura includitur.

*Non esse pro-
hibitum pa-
tere sacra-
menta ab
excommuni-
cato non vi-
tando ex vi
censuræ.*

Ex quo vterius infero, non solum recipere, sed
etiam petere sacramentum ab his excommunicatis
licitum esse, seu non prohibitum ex vi censuræ, aut
iuris positiuo. Probatur, quia nulla communicatio
cum his excommunicatis in administratione sacra-
mentorum prohibita est; sed petere sacramentum
est quedam communicatio, & solum sub ea ratione
posset per censuram prohiberi, si prohibita esset: er-
go, cum sub illa ratione prohibita non sit, simplici-
ter non est prohibita. Dices, Ergo absolute licet fi-
delibus petere ab his excommunicatis sacramēta,
& inducere eos ad ministranda illa, æque ac quem-
cumque alium non excommunicatum, si in cæteris
sit æqualitas, nimirum in potestate, vel etiam in di-
positione quoad probabilem carentiā peccati mortu-
alis. Patet sequela, quia concessio Concilij Cõstan-
tensis absoluta est: ergo simpliciter tollit omne im-
pedimentum: & cõcedit facultatem æque commu-
nicandi cum his excommunicatis, sicut cum non
excommunicatis. Consequens autem videtur incre-
dibile: nam, si ego possum sacramentum petere, vel
audire Missam à sacerdote nullo modo excommu-
nicato, nō licebit mihi ab huiusmodi excommuni-
cato hæc petere: cur enim Ecclesia tā amplam con-
cederet licentiam, quæ & dignitati sacramentorum,
& seueritati cõsuarum multum derogat, & ad vti-
litatem fidelium necessaria non erat.

Obiectio:

Respondet nihilominus, concedendo sequelam,
quantum est ex vi censuræ, & præcepti Ecclesiastici
directe pertinentis ad ipsos fideles: hoc enim con-
vincere videtur ratio adducta fūdita in verbis Ex-
trauagantis, quæ generalia sunt. Et illius ratio reddi
potest, quia leges humane generatim traduntur, &
non possunt ad singulos casus, & circumstantias eo-
rum descendere: cum ergo fuerit conueniens con-
cedere fidelibus communicationem cum his ex-
communicatis, fieri debuit absoluta, & generali le-
ge. Vnde, licet in hoc, vel illo particulari casu non
sit tanta necessitas, vel vtilitas talis communicatio-
nis, nihilominus etiam tunc non est prohibita ex vi
censuræ, quia lex illa generatim lata est. Hoc vero
non obstat, quominus fideles vtentes hoc priuile-
gio, debeant seruare modum, si aliunde naturalis ra-
tio dictauerit esse necessarium ex aliis principiis, seu
ex parte ipsius excommunicati, illum nō inducere ad
talem actum, vt ex dicendis amplius constabit.

Secunda assertio.

Dico ergo secundo, Non est simpliciter prohi-
bitum ex vi censuræ huiusmodi excommuni-
catis, ministrare sacramēta, eo modo quo aliis ex-
communicatis vitandis prohibitum est. Probatur,
quia hæc duò correlatiua videntur: nam communi-
catio,

catio, cum inter duos necessario esse debeat, non potest esse vnus cum alio, quin etiam sit huius cum illo: ergo si alteri eorum concessa est communicatio cum altero, necesse est, vt alteri non sit simpliciter prohibita, quia repugnantia esse videtur alicui licitum esse, quod sine alterius peccato facere non potest. Et hoc sensu auct. Iuristę, prohibito vno correlatiuo, prohiberi etiam aliud concurrente eadem ratione. Quam regulam tradit Panormitan. in cap. Quia clerici, de iure patro. num. 7. vbi dicit esse communem Theoricā Legistarum: & videri etiam potest Barth. in l. i. C. de Cupressis. libr. 10. Verum est hanc regulam non esse adeo generalem, quin stando in terminis iuris positiui multas exceptionis patiat, præsertim vbi diuersa ratio interuenit, aut ipsum ius satis expresse declarat velle vnū prohibere, & non aliud: quæ duo in præsentī casu reperiri videntur ex vi prædictæ Extrauagantis *Ad euitanda*. Nihilominus tamen, quatenus illud principium fundari potest in ratione naturali, scilicet in necessaria connexionē inter honestatem actus, & omnia, quę sunt de necessitate eius, quatenus honestus est, licet necesse est, vt cui aliquis actus conceditur, vt licitus, eidem cōcedantur omnia, sine quibus talis actus licitus esse non potest. In præsentī ergo cum fidelibus concessum sit, vt licite possint sacramenta recipere, & petere ab huiusmodi excommunicatis, cumque id non possint simpliciter facere licite, nisi illi possint licite ministrare, quia saltē propter cooperationem, vel inductionem ad malum frequenter id esset malum, sit, vt ipsis etiam excommunicatis sic toleratis, consequenter concessum sit vt licite possint sacramenta ministrare, non quidem in ipsorum fauorem, sed aliorum.

Panorm.

Barth.

Enas.

Præcluditur.

Non est idem non posse aliquid licite facere, & non esse licite facere.

Dices, quamuis nunquam liceat huiusmodi excommunicatis sacramenta ministrare, si tamen id faciant sua sponte, licitum esse aliis bene vt malitia eorum, illa ab eis recipiendo. Hoc tamen non sufficit ad intelligendam amplam facultatem, quæ in dicta Extrauaganti fidelibus cōceditur ad communicandum cū his excommunicatis in mysterio sacramentorum: quia, regulariter ac moraliter loquendo, nemo potest ab alio accipere licite, quod alius non potest licite dare: & multo minus potest petere, quod alius non potest licite efficere. Aliud est enim (quod in his rebus accurate distinguendum est) aliquid non posse aliquid licite facere: aliud non esse id facere licite, quamuis possit. Nam, quādo se habet hoc posteriori modo, sæpe licet ab alio petere, vel accipere, quod ipse illicite facit, vel facturus est: quia, cum defectus non sit potestatis, sed voluntatis, per accidens coniungitur actioni, quā alter petit, seu qua vitur: & ideo, per se loquendo, petenti non imputatur, nisi aliunde ex charitate, vel ex alia peculiari ratione teneatur non petere: & ita contingit in exemplo supra posito de petitione mutui ab eo, qui non est daturus sine vsuris. At vero quādo quis non potest licite aliquid facere, nulla ratione licet ab eo id petere, vel cum eo cooperari: quia petere ab alio id est, quod sine peccato præstare non potest, moraliter est petere peccatum ipsum, vt latius dixi in 3. to. disp. 18. sect. 1. Vbi ex hoc principio cōclusi, nunquā licere sacramentū recipere ab eo, qui non potest licite dare, etiam si sæpe liceat recipere ab eo, qui non licite dat. Ergo, si his excommunicatis nunquā liceret ministrare sacramenta, neque fidelibus liceret ab eis illa recipere, quantumuis ipsi essent ad ministrandum expoliti. Et præterea, quamuis daremus in aliquo raro casu hoc esse licitum, v. g. quando talis sacerdos est actū ministrans in altari, tamen id non sufficit ad intentionē ipsius Extrauagantis, nec ad verba eius saluanda: nā intentio illius cōstitutionis fuit subuenire conscientis timoratis & tollere occasiones scandali, vel periculi: illo autē modo non vitantur pericula, sed augentur potius, & relinquuntur

A fideles valde perplexi circa hanc cōmunicationē in administratione sacramentorū cū his excommunicatis. Verba etiā illius Extrauagantis amplissima sunt: cur ergo debent rāstricte ad casū rarissimū limitari?

Potest vero aliquis tandem dicere, Ecclesiam in illa Extrauaganti non concessisse fidelibus, vt possint licite recipere sacramenta ab his excommunicatis, sed solum ab illis directam prohibitionē, respectu aliorū fidelium, integram relinquendo directam prohibitionem, quę inest ipsis excommunicatis, & consequenter relinquendo in aliis indirectam prohibitionem, quæ diuino, & naturali iure in eos redundat. Sed hoc re vera incredibile est, tum quia inutilis esset illa concessio, nam, si ex aliquo titulo

Obiectio a. lia.

Soluit.

B semper est illicitum fidelibus communicare cū his excommunicatis in ministerio sacramentorū, quid interfuit eis tollere directam prohibitionem: Certe ad summum poterat id esse vtile ad vitandam specialem contumaciā, & consequenter etiam excommunicationem minorem: at Ecclesia plus intendit per eam concessionem, scilicet pacare conscientias, & pericula peccandi absolute in hac cōmunicatione tollere. Tum etiam, quia in illo sensu falsa essent illa verba, Nemo prætexitum alicuius censurę, &c. nam siue dicatur obligatio esse directa, siue indirecta, absolute verum est, prætexitu censurę, qua huiusmodi excommunicatus ligatus est, debere alios vitare illum in administratione sacramentorum: ergo repugnat hoc rationi, & verbis illius Extrauagantis. Concludo igitur huiusmodi excommunicatos non esse ex vi suę censurę ita separatos ab actiui ministerio sacramentorum, vt eis semper illicitum sit: sicut est vetitum aliis excommunicatis vitandis.

C

Ex quo infero (quod etiam confirmat præcedentem assertionem) sacerdotes habentes iurisdictionē ad sacramenta ministranda, non priuari illa simpliciter, & absolute ob huiusmodi excommunicationem nondum denuntiata, &c. Probatur generatim in omnibus sacramētis, quia à nemine licite ministratur (extra extremam necessitatē) nisi ius habeat ministrandi: per iurisdictionē ordinariam, vel delegatam, tali sacramento accommodatam, vt ostendi in 3. to. disp. 16. sect. 1. sed ostensū est his excommunicatis licitam esse hanc administrationem sacramentorū:

D ergo necesse est vt retineant iurisdictionem necessariam ad huiusmodi actum licitum. Præterea in particulari id constat de sacramento poenitentię, in quo magis necessaria est iurisdicō, ac vero sacramentum hoc collatum ab huiusmodi excommunicato validum est, per se loquendo, id est, nisi aliunde habeat defectum essentialē in materia, vel forma, aut intentione ministri: ergo signū est per hanc excommunicationem non priuari iurisdictionē spirituali, qui illam habeat. Minor est communis sententia, vt videre licet in Couarr. dict. cap. Alma, p. 1. §. 6. nu. 7. concl. 5. vbi Adrian. Caiet. Med. & Nauarr. in eandem sententiā refert: quam tenet etiam Driedo lib. 3. de libert. Christ. cap. 7. Vid. in Sum. 4. materia de excom. qu. 10. vbi dicit ita esse determinatum in

Excommuni-
cati sacer-
dotes non
priuari, non
priuentur
iurisdicō-
ne, quam ad
sacramenta
ministranda
habebant.

Suadet
Couarr.
Adrian.
Caiet.
Medin.
Nauarr.
Driedo.
Videtur.

E Conc. Constant. in dicta Extrauag. *Ad euitanda*. Ex quo loco omnes dicti auctores hoc colligunt, quia, cum Ecclesia concedat fidelibus, vt non teneantur vitare huiusmodi excommunicatos in vsu sacramentorum, consequens est, vt relinquat ipsis excommunicatis potestatem necessariam ad sacramenta conficienda: sed iurisdicō est necessaria ad conficiendum hoc sacramentum: ergo illā relinquit: quia non minus conceditur vsus huius sacramēti, quam reliquorum, nam, cum verba sint generalia, & fauorem contineant: non est cur poenitentia sacramentum excipiat, præsertim cum vsus eius frequentior sit & magis necessarius.

Supere est vero vltimo loco explicandum, an hæc licentia ministrandi sacramentū tam absolute concedenda sit his excommunicatis, ac si excommuni-

10
Quia ratio
ne excom-
municatis,

ministratio non videtur de concessa si licet ministratio sacramenti sit excommunicatio non licet ministrare ad sacramentum ministrando.

Ca. 11. de Cleric. excom. ministr. Excommunicato non vitare multo magis quam non vitare, periculum existit: non vitare si quidem, cum in eo sit excommunicatus sine delicto non potest: sed, cum ex alio pen-deat, sine suo delicto poterit non vitare.

Deinde: quando ipse non se ingerit, sed alius ab eo petit sacramentum, hæc videtur generalis regula seruanda, vt, si ad fauorem petentis pertineat, seu moraliter sit necessarium, aut valde utile, vt excom-municatus ei conferat sacramentum, id possit facere sine peccato: si vero non ita pertineat ad fauorem petentis, non possit. Hæc regula fundata est in ver-bis Extrauagantis, quibus declaratur, ibi non fieri fauore excommunicatis, sed aliis fidelibus. Explica-tur autem in particulari variis modis, seu propo-sitionibus: nam in primis, si sacerdos sit parochus, id-eo ex officio tenetur ministrare sacramentum & ille, qui petit, habet ius petendi, & non vult alteri confiteri, tunc Parochus, licet dicto modo excom-municatus sit, potest petenti licite sacramentum dare: quia petit ius suum, & ideo ad fauorem eius perti-net, vt ei tribuatur. Supponimus autem huiusmodi sacerdotem excommunicatum non posse hic, & tunc prius absolutionem celsuræ petere: nam, si possit fa-cile, sine dubio ad id tenetur: quia per se illi prohi-bitum est sacramentum cum censura ministrare: & tunc iam nulla imminet necessitas, cum possit prius censuram à se expellere. Dixi autem, hic non, quia nō obstat, quod antea potuerit, & fuerit in mora: sed attendenda est præsens opportunitas. Deinde sup-ponimus huiusmodi Parochum nō posse per alium non excommunicatum satis facere petenti: nam, si hoc possit, teneretur ipse abstinere: quia iam nihil refert ad fauorem petentis, quod ipsemet potius quam alius loco eius, sacramentum ministraret.

Explicitatur ita ex officio sacra-mentum ministrare tenetur.

Præterea, quando sacerdos ex officio non tene-tur ministrare sacramenta, qui autem petit, cum ali-qua necessitate ab illo petit, tunc etiam licitum est ei dare. Hæc non est tam certa, sicut præcedens, quia auctores citati solum de Parocho videntur loqui. Vnde quidam moderni addunt exclusiuam, vt pat-et in Vgol. tab. 2. ca. 7 §. 4. nu. 4. Nihilominus tamen censetur esse veram. Et illam insinuat Nauar. in Sum. c. 9. nu. 10. dum ait generaliter confessionem factam huiusmodi excommunicato validam esse, quoties penitens non peccat inducendo hunc confessariū excommunicatum ad suam confessionem audien-dam. Quod est euident, quia ille excommunicatus non est priuatus iurisdictione, vt dictum est: ergo, si aliunde penitens non ponit obicem sacramento, validum erit. Subdit vero deinde, huiusmodi indu-ctionem tunc esse peccatū mortale, quando fit absq-ue vlla necessitate, vel debito, quo alius tenetur. Pro-batur deinde, quia tunc nullus fit fauor danti, sed re-cipienti. Extrauag. autem concedit fidelibus omnē communicationem eis fauorabile, & rectæ rationi consentaneam. Nec vero intelligendum hoc est de extrema aliqua necessitate (in qua etiā nominatim excommunicatus posset id facere) sed sufficit com-munis aliqua necessitas, quæ ante Extrauagatē il-lam non fuisset. Ex quo fit, vt, si fidelis possit sa-cramentum obtinere ab alio sacerdote non excom-

A municato: non possit huiusmodi excommunicatus illud dare, quia tunc nulla est necessitas, nec suffi-ciens ratio aut causa: & consequenter iam ille non ef-fet fauor recipientis, sed dantis. Quapropter in hu-iusmodi casu male faceret fidelis petens sacramen-tum ab huiusmodi excommunicato, cum possit il-lud à non excommunicato obtinere: quia licet hoc nō sit ei directe prohibitum propter dictam Extra-uagan. Ad cuiusmodi tamē ex natura rei sequitur, sup-posito grauamine, quod ipse excommunicatus reli-ctum est abstinendi quantum moraliter possunt ab huiusmodi ministerio. Atq-ue hoc modo videtur suf-ficienter exponi dicta Extrauagans: & satisfieri in-tentioni eius, quia tolluntur scandala, & pericula; subueniturq-ue sufficienter necessitatibus fidelium, & alioqui seruatur rigor censuræ quantum neces-sit, & in eadem Extrauaganti significatur.

B Sed quares, an quod dictum est de ministerio sa-cramentorum, locum habeat etiam in celebratio-ne Missæ. Et est casus moralis, si Parochus sit dicto modo excommunicatus, vt nullus sit alius sacerdos, à quo populus possit Missam audire in die festo, an possit licite id facere ob eam solam causam & seclu-sio scandalo, & consequenter an Parochiani possint licite petere & instare, vt sibi sacrum faciat. Et ratio dubij est, nam in dict. Extrau. licet fiat expressa mē-tio de sacramentorum administratione, & receptio-ne, non tamen de Missæ celebratione: Neq-ue videtur hoc extendendum propter similitudinem rationis: tum quia Missæ celebratio habet singularem excel-lentiam, ac dignitatem, tum etiam quia illud mini-steriū non est ita necessariū fidelibus, sicut est sacra-mentorum collatio. Et ita Doctores loquuntur so-lum de receptione sacramentorū. In contrariū vero est, quia in illa Extrauaganti statim additur clausula generalis, Aut alius quibuscumq-ue diuini: sub qua clausu-la maxime continetur diuinū sacrificium: ergo non tenentur fideles vitare huiusmodi excommunicatū in Missæ sacrificio: & ita sine dubio possunt Missam eius audire, si illam sua sponte dicat, siue in eo pec-cet: siue non: ergo etiam possunt illum inducere vt eam dicat, quando moraliter indiget illo sacrificio, vel propter obligationem festi occurrētis, vel pro-pter moralem aliquam necessitatem communicā-di, &c. Ergo & ipse non peccabit tunc sacrificando in bonū aliorum: tunc enim ipse non se ingerit alio-rum communicationi, sed solum admittit eos ad sui communicationem, quæ illis prohibita non est.

D In hac re aliqui censent hoc non licere huiusmo-di sacerdoti, nisi forte quando censura est omnino occulta, & sequetur scandalum, & infamia, nisi sacri-ficeret, quin potius aiūt aliqui, si possit suam excom-municationem sine scandalo manifestare, vt pote quia causa eius, nec infamis, nec scandalosa est, de-bere potius suam excommunicationē publicam fa-cere, vt se excuset, quàm celebrare. Sed hæc doctri-na habet quidem locum in excommunicato vitan-do, & hoc sensu satis in superioribus tractata est. At vero in hoc excommunicato, qui ex nouo iure vi-tandus non est, non ita procedit, quia de illo nō que-rimus, an per accidēs, & ratione damni vitandi pos-sit hoc licite facere, sed per se ob facultatem conces-sam in prædicta Extrauaganti in fauorem fidelium. Vnde in huiusmodi casu non supponimus excom-municationem esse occultam aliis, sed notam: & id-eo, etiam supponimus non futurum scandalum, vel nouam infamiam ex eo, quod talis excommunica-tus abstinere à celebratione, quando quidem habet impedimentum aliis notum, in quibus potius po-terit scandalum timeri, si eum viderint celebrare. Quamuis in hoc etiam supponendum sit, tale scan-dalum vitari posse, & debere: quod fit, si alij instru-antur, & sufficienter intelligant huiusmodi excom-municatū non peccare celebrando in tali opportu-nitate, & ppter talē causam: secluso ergo omni scā-

E dalo,

Licet tamen hunc ex-communicatū ob alio-rum necessi-tatem sa-crum facere. Dubitatio 10. nes.

14. Prior opit. Vide Vgol. tab. 2. ca. 13. §. 4. num. 2.

Impugnatio.

dalo, & infamia, vel metu extrinseco, per se confideranda, & tractanda res est.

¹⁵ Et videtur quidem vt minimum hic esse illa distinctione vtendum, qua omnes Doctores vtuntur in administratione sacramentorum scilicet, quod aut hic excommunicatus Parochus est, seu aliqui ex iustitia obligatus ad sacrum faciendum, aut est simplex sacerdos carens tali obligatione. In priori casu dicendum videtur, idem iudicium esse de celebratione Missæ, quod de administratione aliorum sacramentorum: nam Parochiani, tenentur Missam audire, & aliqui habent ius petendi à Parocho: ergo licite possunt ab eo exigere, & ipse etiā licite potest id facere. Responderi posset Parochianos teneri ad audiendum sacrum, si fit qui legitime id faciat in eo autē casu deesse, qui legitime faciat: quia Parochus excommunicatus est. Sed in primis hoc ipsum est, quod inquirimus, an scilicet talis excommunicatus sit illegitimus minister pro tali casu. Et deinde vis rationis non omnino pendet ex eo, quod huiusmodi homines teneantur ad audiendum sacrum, sed ex eo quod habent ius petendi ministerium illud à suo Parocho: quod ille præcipue tenetur ex iustitia exhibere illis diebus, in quibus ex præcepto Ecclesie, per se loquendo, tenentur fideles audire sacrum, vt dixi in tom. 3. disp. 86. sect. 1. Et quantum ad hoc multum confert ad honestandum hunc actum in illo casu obligatio, quam fideles habent, per se loquendo, ad audiendum sacrum: quāuis argumentum posset procedere, quoties habent ius petendi vt fiat sacrum, etiam si fortasse non teneantur audire: sicut etiam possunt petere sacramentum, quando habent ius petendi, etiam si non teneantur recipere.

¹⁶ Vnde augetur hæc ratio, quia sequitur aliqui perplexio quædam: nam, si ille tenetur ex iustitia facere, alter recte facit exigendo ius suum: ergo alter peccabit non reddendo. ergo si ea ratione sacrum faciat, non peccabit, aliqui perplexus esset: similis enim discursus fieri solet de administratione sacramentorum. Sed responderi potest, peti principium, nam idem discursus applicari potest ad excommunicatum denunciatum, qui alias ex officio teneatur: sicut ergo ille excusatur legitime, quando est sic excommunicatus, quia solum tenetur quis ad ministerium sui officij, quia sub conditione, quando à superiori prohibetur non est. Ita dicere quis potest de excommunicato non denunciato, & tollitur omnis perplexitas. Probandum ergo est, quod non obstant tali censura, adhuc maneat obligatio celebrandi absque legitima excusatione. Potest ergo in hunc modum hoc explicari, quia Parochus ille, per se loquendo, tenetur ex iustitia ad illud ministerium, & aliqui ipsi Parochiani ex vi talis censuræ non prohibentur, quominus possint petere ius suum ob priuilegium illis concessum ob Extrauagant. *Ad euitanda*, & ideo licite petunt: nam ab excommunicato licite quis petit quod sibi debet, nisi alias specialiter prohibitum sit, vt sumitur ex c. *Intelleximus*, c. *Iudicis*, & c. *Si vere*, de sent. excom. ergo neque ipse Parochus ex vi talis censuræ excusari potest quominus perentibus reddat ministerium suum: non ergo peccabit illud faciendo. Et confirmatur à contrario, nam si Parochiani sunt excommunicati non denunciati, & nihilominus petant, & velint audire Missam à suo Parocho, ipse licite potest eam facere coram eis, quia non tenetur eos vitare ratione prædictæ Extrau. ergo & à contrario. Denique non est maior ratio ob quam possumus ab illo petere sacramentum, quam sacrificium: nam, licet ministerium sacrificij videatur grauius, tamen verba Extrau. generalia sunt vt vidimus. Et licet sacramentum videatur vtilius, aut interdum magis necessarium propter gratiæ infusionem, aut peccati remissionem, tamen & hoc non refert, quia hoc non tam

fundatur in vtilitate, quam in iure petentis, supposita Ecclesiæ institutione in dicta Extrau. Et præterea illud quod sumitur, incertum est: nam sacrificium etiam est vtilissimum, præsertim communi bono per modum satisfactionis, & imperationis.

Potest vero obici, quia sequitur posse aliquem iuste petere ab huiusmodi excommunicato, vt minus suum impleat, si alias ratione accepti stipendij, vel capellanæ tenetur Missam dicere, etiam si alius auditor non sit illam, quia etiam tunc procedit ratio facta, quod potest exigere debitum suum: consequens autem est plane falsum, & contra Ecclesiæ consuetudinem. Responderetur, negando sequentiam: quia in dicta Extrauag. *Ad euitanda*, solum conceditur facultas communicandi cum his excommunicatis: & ideo ex vi illius concessionis solum possumus petere huiusmodi ministeria per modum communicationis, quæ tunc solum interuenit quādo sacramentum petitur vt recipiatur, vel Missa vt audiat. Petere autem à sacerdote excommunicato vt faciat sacrum, solum quia recipit stipendia, vel quia ex titulo capellanæ ad id tenetur, fieri non potest, quia illud non esset communicare cum illo, sed absolute inducere ad ministerium ei prohibitum. In eo ergo casu cogi poterit excommunicatus, vel vt stipendium restituat, vel vt per alium suæ obligationi satisfaciatur: non verò vt per se ipsum celebret.

At verò, quando sacerdos non est Parochus, & occurrit similis necessitas, quæ charitate saltem vel obligaret, vel certe plurimum induceret ad illud ministerium perficiendum propter communem populi vtilitatem vel Ecclesiastici præcepti obseruantiam, seu executionem, maius dubium est, an tunc liceat ei sic excommunicato sacrificare, & aliis ab eo petere vt id faciat. Tamen consequenter loquendo, videtur ita sentiendum de hoc ministerio, sicut de sacramentorum collatione: nam verba Extrauagantis æqualia sunt: & alia ratio hic procedit, cum hic non antecedat fauor ipsius excommunicati, sed fidelium, vel potius eorum necessitas. Et hoc etiam sensisse videtur Nauarrus dict. ca. 9. num. 10. in fine, dum sub disunctione loquitur eodem modo de inductione ad faciendum sacrum, vel ad ministrandum aliud sacramentum. Quamuis autem hoc videatur verum de rigore iuris, nihilominus in praxi attendenda est consuetudo, quæ est optima legum interpretis, & cauendum etiam est ne sequatur aliquod scandalum.

Vltimo intelligitur ex dictis, quid sentiendum sit de his excommunicatis, quantum ad incurrendam irregularitatem, vel alias poenas, si celebrent, vel sacramenta ministrent. Attendendum est enim, an id licite faciant ex vi fauoris aliis concessi per Extrauagantem, *Ad euitanda*, nec ne. Nam quando priori modo operantur, nullam poenam, vel irregularitatem incurrunt, quia non violant censuram: neque illa irregularitas incurritur sine culpa, vt supra ostensum est. At vero, quando illicite se ingerunt, & fauorem aliis datum sibi vsurpant, irregulares fiunt, & easdem poenas incurrunt, quas alij excommunicati denunciati: quia quoad eos sic ministrantes manet integrum ius antiquum: nihil enim ei derogatum est per Extrauag. *Ad euitanda*, vt in ipsamet cauetur: illæ autem poenæ iure antiquo inductæ sunt.

* * *